DE TIB. CLAUDI DONATI

IN

AENEIDA COMMENTARIO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

VICTOR BURCKAS

GOTHANUS

IENAE

TYPIS G. NEUENHAHNI

MDCCCLXXXVIII

CAPVT I.

§ 1. DE CODICIBUS, EDITIONIBUS, VIRORUM DOCTORUM DE DONATO SCRIPTIS.

Laurentianus plut. XLV codex 15 membr. fol. exaratus litteris Langobardicis s. X continet libb. I—V (Thilo Mus. Rh. 15, 149). Inde exscripsit 'meliora' Petrus Crinitus a. 1496, quae exstant in cod. Victorian. bibl. Monac. Lat. 755 (Mommsen Mus. Rh. 15, 137). — Praeterea e Laur. fluxisse suspicatur Thilo hos codices in Italia scriptos: Megliabachianum 971 chart. fol. s. XV, Ambrosianum H 265 inf. chart. fol. s. XV, Farnesinum V. B 31 chart. fol. s. XV (usque ad v. 104 lib. IV). — Librum VI a. v. 158 usque ad finem commentarii continet Vaticanus 1512 membr. fol. s. IX, de quo Thilonis (l. l.) verba haec sunt: 'auf 236 blättern in 2 columnen, jede seite überschrieben 'expositio in Vergilium', die sehr ausgedehnten lemmata mit roter farbe, mit der im 7 jh. gebräuchlichen schrift und wohl erst nachträglich geschrieben. Er beginnt mit den worten 'quae quem etc.' — Totus commentarius extat in cod. Harlemensi scripto 'per Franciscum S. Nicolai Berti Martini de Sancto Germiniano, civem et notarium Florentinum, de anno 1466 de m. dec. in civitate Florent'. (cf. Burmannus in praefat. edit. Verg., cuius de Donato verba exscripsit Suringar hist. crit. schol. lat. II 53; usus est hoc codice v. d. Hoeven). Aut igitur a. 1466 in Laur. etiam libb. VI — XII exstiterunt aut Franciscus ille alio codice usus est, qui postea periit. An qui nunc est Vatic., tunc temporis Florentiae fuit? — Etiam in Anglia se Tib. Donatum in membranis vidisse adfirmat Barthius adv. XXXIII cap. 13, ad Stat. Th. IV 445. — Interciderunt in omnibus

codd. vss. IV 384—622, VI 1—158, VII 373—415, VIII 456—731, XII 619—664, 690—755, 785—847 una cum adnotatione, ut omittam versus singulos et hemistichia hic illic deficientia.

Edita sunt excerpta e Donati interpretationibus a Landino in ed. Verg. Ven. 1489, unde in posteriores editiones migraverunt. — Nonnulla Donati scholia Pierius attulit in castig. et var. lect. in Verg. Rom. 1529. Integrum commentarium primus ex cod. Ioviani Pontani edidit Scipio Capyzius Neap. 1535 fol. Hanc editionem plurimis vitiis se liberasse adfirmat Georgius Fabricius in praefat. ad Vergil. ed. a. 1547 scripta. — Vltimus edidit Donatum (ex edit. Fabricii expressum) Lucius Basil. 1613 [1]).

De fide editionum haec Thilonis verba adponere mihi liceat: aus dieser hs. (Vatic.) müssen die übrigen, welche den commentar zu den 6 (immo 7) letzten büchern enthalten, geflossen sein. Ich kenne zwar keine durch eigene anschauung, finde aber, dass in einer 1491 in Venedig erschienenen ausgabe und in der des Fabricius gleicher anfang und gleicher schluss ist. ich habe den codex an verschiedenen stellen copiert und gefunden, dass in der fassung der scholien die ausgabe des Fabricius von ihm nicht abweicht, im einzelnen aber abschreiber des 15 jh. und die ersten herausgeber die kecksten und gewagtesten änderungen sich erlaubt haben, sodass Donat in einer neuen bearbeitung allerdings ein sehr verschiedenes aussehen gewinnen würde. — Nonnullos locos ex cod. Harl. v. d. Hoeven emendavit: praeterea etiam qui codicum subsidio destitutus est, multas mendas corrigere potest. Inveniuntur vero loci, ubi iure quis dubitet, utrum corruptam esse memoriam putet an scriptorem ipsum quid sibi velit non satis scire iudicet.

Quae viri docti de Donato scripserunt, maximam partem congessit Suringar hist. crit. schol. lat. II p. 31—58, qui hunc Vergili interpretem eundem esse putat atqne Aelium Donatum, Terenti commentatorem et artis grammaticae scriptorem. Hanc quidem sententiam Graefenhan (Gesch. d. klass. philol. im altertum IV p. 315 sqq.) recte refutavit, sed non

1) Singulae editiones Landini et Fabricii enumerantur in Heynii Verg. IV 2. Mihi praesto fuit e Fabricianis ea quae a 1575 typis expressa est Basil. in officina Henric-Petrina.

curavit, quod v. d. Hoeven in epist. ad Suring. de Donati commentario in Verg. Aeneida (Leov. Suring. 1846) iam ante eum demonstraverat, alienam esse a Tiberio vitam Vergili nec pertinere ad eum, quae in commentario Serviano dicuntur de Donato.

§ 2. DE DONATI VITA.

De Tib. Claudi Donati vita quae cum ex commentario tum ex epistulis ad filium Tib. Claudium Donatianum Maximum datis, quarum altera praemissa, altera subiecta est operi, erui possunt idem quem modo laudavimus Batavus p. 33 sq. collegit. Atque pauca quidem sunt. Erat enim paganae religioni addictus, rhetorica disciplina instructus, historiae vero et antiquitatum non ita peritus. Fortasse iuvenis in schola rhetorica Vergili Aeneida tractavit ex eaque themata adolescentibus proposuit. Senex vero factus cum rhetoricam exercere desiisset, aggressus est ad scribendam Aeneidos enarrationem. Haec continet, ut Hoevenii verbis utar, 'continuam Vergiliani operis paraphrasin, sensum et seriem carminis demonstrantem, simulque poetici artificii laudes in singulis locis praedicantem, insertis subinde observationibus quae ad meliorem harum virtutum intellegentiam conducere visae sint, nonnunquam etiam deductis inde praeceptis moralibus'. Ex his cum satis appareat differre huius operis rationem a ceteris commentariis, quorum scriptores non ut Donatus rhetores, sed grammaticos agebant; tamen Donato sat multa cum aliis interpretibus communia sunt, ut qualis inter utrosque intercedat ratio, non sine aliquo ad cognoscendam historiam interpretationis Vergilianae fructu expposituri esse nobis videamur.

Sed antequam ad hanc commentarioli partem veniamus, pauca placet praemittere de Donati sermone et de carminis contextu qualem legerit interpres.

§ 3. DE DONATI SERMONE.

In lexicis[1]) haec vocabula non inveniuntur: III 247 *improsperitatem.* VII 279 *salivaribus (*cf. *salivarium* edict. Dioclet.).

1) contuli Forcellini — de Vit, Georges (in ed. V. lexici manualis et in 'jahresbericht über lexikographie').

V 113 *ecce aggerem posuit, qui dixerat circum, ut ostenderet non strictilem* (?) *fuisse.* (supra adnotatum est: *non quod revera circus fuisset exstructus, sed in spatio, quod ad vicem circi fuerat designatum*). 388 *obiurgativus.* 578 *incontemptae multitudinis.* V 783 *faventer.* VII 451 *fremescere.* XI 896 *implere est ad plenum aliquid intumere.*

Accedunt nonnulla, quorum aut significatio aut cum aliis conexio singularis est. Substantiva: II 44 *Ulyssis tergiversatione utilissima* (dolo, insidiis cf. Probi append. p. 201 K l. 23). III 304 *triste obsequium (= exsequiae).* 300 *dispositio voluntatis* (willensrichtung). 324 *conventio* (de Aen. cum Did. concubitu). cf. X 91 *conventio turpis = adulterium.* 346 *deductor* (begleiter). 380 *multa tibi instructionis causa fuerant referenda* (ut instruereris, institueereris). IV 9 *longos verborum circulos* (= ambages). 56 *exhibitio sacrorum* (darbringung). 109 *ut illa voluit benevola prosecutione subtilis.* V 597 *murorum fabrica* (d. bauen, d. erbauung). 615 *malorum magisterium* (schule d. leidens). 661 *fomenta virgultorum* (zündmasse von). 807 *corporum retentui obiectus* (leichendamm). VII 238 *meliore accessu ornari* (i. e. copiis accedentibus). 597 *erroris agnitio — agnitor.* 815 *velabat enim umeros eius taxatio vestis amplissimae* (ein kleid von hohem werte). IX 207 *quia dispensionem suam solum tractantis noverat pectus* (disp. = consilium. An legend. *dispositionem?* cf. paulo supra *'pretium comparare disposuisti'* et adn. ad III 300 supra laud.). 700 *specus dixit suspensura pectoris in modum speluncae naturali ratione compositi.* V 492 *retinentia vinculorum gravis est* (= gravia vincula retinent).

Adiectiva: III 295 *perosos habuerunt* (= in odio habuerunt). 390 *roboreus* (= robustus). V 600 *reverenda observatione* (active). 745 *devota mente.* X 6 *irreligiosi dii in regem.* — Verba: II 540 *adstruebat Achillis factum* (= laudibus efferebat). V 652 *his ergo copiose quod dicebat adstruxit* (= confirmavit). III 247 *asseruit personam suam* (opp. deformavit personam inimici). III 269 *gubernator vento consentit.* III 295 *eximere vitam.* 308 *intercedat vigor animi* (weichen). 326 *iuvenibus nulla morum gravitas deputatur.* IV 212 *deferre potioribus* = déférer gall.). 215 *satiet indignitatem facti* (vollmachen). V 446 *ictum fortiter erogatum.* 460 *sic crebris et utraque manu*

inclusis ictibus. 587 *proficere* (= prodesse). 602 *ludus replicatur* (wiederholen). 641 *obiectu contradictionis excludi* (= prohiberi). VIII 379 *licet me artaret affectus* (= cruciaret). IX 481 *subiugare periculis.* X 448 *vacuare* (= attenuare). 629 *facta laetifices.* XI 7 *vindicatus* (= gerächt).

Praeterea multa vocabula inveniuntur in commentario, quae liberae rei publicae et Augusti tempore aut nusquam aut perraro leguntur, postea vero saepius ursurpantur. Multa imprimis ei communia sunt cum ictis, scriptoribus eccles., vulgata, scriptoribus historiae Augustae, Ammiano, Macrobio; alia iam occurrunt apud Senecam, Plinium, Gellium.

Ad extremum proponamus exempla nonnulla ad σύνταξιν spectantia. III 247 *differt si species invadatur.* — *tamdiu non putavi esse credenda, quamdiu comprobassem.* 309 *quem venire conspexerat.* 516. *sive dicamus.* II 433 *non timuisse pugnare vel mori.* IV 215 *ad crimen detineat.* 365 *haberes enim aliquid matris et esses in affectus consideratione tractabilis* (= si haberes, esses). 651 *illousque quo.* 655 *sequitur dicere.* VI 270 *quae invideat gressus.* VIII 266 *tam magis quod.* X 150 *petebatur Tarchon, ut* — (cf. III 41 *quod unusquisque petitur*). — Saepe utitur Donatus plusquamperf. pro impf. et indicativi et coniunctivi, ex. gr. III 300 *coeperam pro incipiebam.* 261 *ceciderant ut censuerint* — *quibus potuissent.* VII 276 *per ordinem dixit ne aliquem praeterisset regis honorificentia.*

§ 4. DE CONTEXTU AENEIDOS QUALEM LEGERIT DONATUS [1]).

Continet commentarius Aeneidos versus prope omnes. Ita enim opus institutum est, ut lemma partis versus aut versus integri aut complurium versuum sequatur interpretatio repetitis nonnunquam singulis verbis aut versibus. Pauca illa quae desunt exceptis lacunis plerumque neglegentia scribae omissa videntur: cf. Thilonis verba de cod. Vatic. scriptura supra allata. Et in lemmate et in expositione omissi sunt versus illi quattuor ‘ille ego — Martis’ et versus qui leguntur inter II

---

1) cf. Stephani de criticis dissert. et in edit. Verg. praef. — Wagneri not. crit. ed. Heynianae.

566 et 589, de quibus comment. Danielinus adnotat: *post hunc hi versus fuerunt, qui a Tucca et Vario obliti sunt.* Sed lemmata sola qui legerit, caveat ne statim credat se novisse Donati lectionem. Nam cum saepius ostendi possit lemmatis et interpretationis lectiones diversas esse, quid probaverit Donatus certo erui non potest nisi ex interpretatione. Cum igitur lemmata circiter trecenties differant a recensione Ribbeckiana, diversitas, quam quidem cognoscimus ex interpretatione, multo minor est. Quantum in ea re editori et typothetae debeatur, qui codices non inspexit dignoscere nequit. Quod vero Fabricius adnotat ad X 277 *praeripere] Donatus praecipere: i. e. praeoccupare. cum Don. non facio qui nec lectionem observavit et verborum interpres non exquisitus fuit,* in his verbis aliquid veri inesse non nego, cum nonnunquam paraphrasi sensus verborum poetae minus illustretur quam obscuretur. Quamquam hoc loco *praecipere,* quod Don. legit, nunc in omnibus fere codicibus exstare constat.

Atque paucis quidem locis data opera commentator disserit de eligenda lectione: II 434 *non manum, sed manu.* III 327 *enixe adverbium.* 635 *tenebramus, non terebramus.* cf. Serv. ad hunc v. V 36 *legitur et accurrit, quod est amplius quam occurrit.* Don. praefert *occurrit,* nam adnotat *occurrit Ac.] occursus iste impatientiam hominis vere gratulantis demonstrat* eqs. XI 303 *legitur et velle.* 480 *legitur et causa malis tantis, quia multa acciderant mala.* cf. adnot. crit. Ribb. et com. Dan. XII 102 *assistunt pro absistunt scribitur, ut supra aliquoties sustitit pro substitit.* cf. Ribb. adn. crit. XII 412 non *'dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida',* sed *'ipsa manu g. Dictaea c. a. I.'* cf. Fabricius, Stephanus de crit. p. 180, Wagner, Ribb. prol. p. 185 sq.

Iam has lectiones, quae alias non inveniuntur, Donatum probasse ex interpretatione elucet: I 66 *ventos.* 262 *evolvens.* 339 *insuperabile;* cf. IV 40 et Serv. interpr. ad I 339. II 602 *verum inclementia divum.* 632 *abducente dea.* 710 *solus Iulus.* III 533 *eoo.* IV 357 Don. videtur legisse *horrenda per auras* cf. 378, IX 112. — V 503 *alas.* 586 sq. *nunc spicula lenta vertunt infensi, facta nunc p. fr.;* cf. VII 164 sq. — V 844 *aequatae aspirant.* 850 *quid enim fallacius.* VI 182 *provolvunt.* 519 Don. videtur legisse *ardentem.* VIII 78 *et placidus.* 116 *pacificae?* IX 679 *linquentes (— arbores quae crescentes relinquunt flumina).*

699 *tenuem.* X 186 *Cygne.* 371 *laudis.* 571 *bracchia.* XI 714 *ferrato.* XII 378 *stricto.* 515 *nomine Echionio.* 575 *densati.*

Addam eos locos, ubi de lectione veteres interpretes dissentiunt. Servius cum Donato consentit: I 741 *quae, non quem.* IX 380 *abitum, non aditum* (consent. schol. Ver.). X 16 *divum,* Dan. *rerum.* 244 *spectabit,* non *spectabis.*

His vero locis Servius non interposito iudicio duas affert lectiones, priore tamen loco eam, quam Donatus sequitur: I 441 *umbra,* Probus *umbrae.* II 56 *stares — maneret,* alii *staret — maneres.* uterque monet apostropham esse. III 319 *Andromache,* al. *Andromachen.* 484 *honori,* Scaurus *honore.* VI 375 *abibis,* al. *adibis.* VIII 406 *infusus,* al. *infusum* (Dan. *alii infusus*) IX 383 *ducebat,* al. *lucebat.* X 322 *Pharon,* al. *Pharo.* — Servius a Donato dissentit: II 349 *audentem.* Don. *audendi,* quo loco confiteor me nescire quid sit: *si vobis audendi extrema cupido certa sequi* (sic enim Don. ordinat sententiam). In lemmate exstat *audentem.* al. *audenti.* 443 *ad tela.* Serv. et Dan. *ac tela* Don. 632 *deo,* Don. *dea.* Utrumque commemorant schol. Ver. III 581 Serv. et Dan. *molat,* Don. *mutat.* 624 Serv. *exspersa,* Don. *aspersa.* 627 *tepidi,* Don. *trepidi.* VII 6 *quierunt,* Hebrus et Don. *quierant.* IX 282 Serv. et Dan. *aut,* non *haut,* ut Don. legit. XI 243 *Diomede,* Don. *Diomedem.*

Ea lectio quam sequitur Donatus apud Servium secundo loco commemoratur: VI 270 *inceptam,* Don. *incertam.* IX 173 *iuvenum,* Don. *iuveni.* 610 *sera senectus,* Don. *tarda sen.* X 317 *quod licuit.* Don. lemma *quod.* Quod vero in interpretatione verba exstant *cui parvo licuit,* inde non continuo ausim affirmare Don. legisse *cui licuit.* Ceterum hoc loco verba com. Dan. et cod. T Donati expositioni simillima sunt. — Denique I 717 Don. legit *plausum* = schol. Luc. I 133. — IX 400 *in hostes,* quod Dan. — XI 830 *relinquunt,* ut suspicor collatis adnotationibus Don. et Dan.

Eadem ratio, quae in lectionibus intercedit inter Donatum et alios interpretes, est inter Donatum et codices Aeneidos, ut modo cum hoc modo cum illo consentiat. Itaque longum videtur etiam has discrepantias afferre, cum iam ex supra allatis satis appareat bonas lectiones non soli Donato deberi, reliquas vero partim a librariis partim a grammaticis difficul-

tatum removendarum studiosis aut similium locorum memoria deceptis originem duxisse.

CAPVT II.

DE DONATI IN COMMENTARIO CONSCRIBENDO AUCTORIBUS.

Nunc quaeramus num quid e conferendis veterum in Aeneida commentariis colligi possit de Donati fontibus. Atque primum quidem videndum est, num Tib. Donatus usus sit commentario Servi. Nam illum huius interpretationes non adhibuisse iam inde manifestum est, quod quae Aeli Donati sunt, Donato tribuit non addito nomine, quo discerni possit ab altero Donato.

§ 1. COMPARANTUR INTERPRETATIONES A DONATO LAUDATAE CUM SERVIANIS ET PSEUDOSERVIANIS.

Cum nominatim auctores laudare Donatus non sit solitus, primum inquiramus in eos locos, ubi *multorum*, *quorundam*, *nonnullorum* sententiae afferuntur, num e Serviano commentario repetiti esse possint.

1. COMPARANTUR DONATUS ET SERVIUS.

Exstant in Tiberi commentario haec quae quominus e Servio fluxisse putentur nihil impedit: V 586 (602) de pyrricha, ubi Serv. Suetonium laudat. VII 188 *ancile quod esse fertur scuti brevioris nomen.* Accedunt adnotationes quibus impugnantur sententiae a Servio probatae. I 92 sq. *alii frigus pro timore intellegunt positum, quod contra est: nam si timuit Aeneas mortem, derogatum est virtuti ac meritis eius. frigus ergo dixit proprie, quod nascebatur non ex casu evidentissimae mortis, sed ex leti genere* (sic v. d. Hoeven p. 50 pro levi g.) haec consentiunt cum Serv. ad v. 93 adn *non propter mortem ingemuit — sed propter mortis genus.* II 9 *nonnulli praecipitat pro praecipitatur,* Don. *nox praecipitat somnos* (cf. etiam

quae adnotantur ad *cadentia sidera*). IV 625 *rem locuta est. impossibilem ut puta quae non esset suae mentis suique consilii. quando enim nasci homo ex ossibus mortui hominis potest? tamen qui inania sentire voluerunt, dicunt hoc in Hannibale exstitisse, quod est absurdum.* VIII 18 Don. contra alios coniungit: *quae cuncta talia videns Laomedontius heros per Latium geri magno* etc. Eandem distinctionem proponit Peerlk, incertum utrum ex ipsius ingenio an Donatum secutus quem quidem non laudat. XI 275 *speranda quidam quasi metuenda intellegunt, cum vere speranda Verg. intellexisse videatur: nam qui aliquid criminis vel sceleris admiserit, consideratione habita facti sperat sine dubio supplicium* (ergo Donato sperare idem est quod exspectare).

Eadem refellitur sententia ab utroque et Don. et Serv.: I 347 iungendum 'scelere — furor'. addit Don., si aliter distinguatur, posse Pygmalionem defendi per venialem statum, si non voluntate, sed furore peccaverit. III 203 hoc quoque loco Donatus multo copiosior est Servio. Idem cadit in adn. ad VII in. *fortassis aliquis putet impropie caput libri constituisse Verg., quia dixit 'tu quoque', cum ante versum nullum nominare videatur. hoc existimant, qui interiecta nesciunt retrahere, ut quod ad tempus separatum est iungant. iste enim versus sublato medio de inferis tractatu Miseni exsequiis iungitur* eqs. Servius: *tu quoque] sicut Misenus, Palinurus etiam. — bene autem interest funeri postquam ab inferis rediit sicut interfuit antequam descenderet, ut medium actum ostenderet.* VIII 291 *multi hoc loco Vergilium reprehendunt, quod praesentibus Troianis triumphum actum de Troia non debuerit ponere, quasi demum in hominum gratiam divorum debeat veneratio mutilari* eqs. Serv. *critici frustra culpant Verg. — non respicientes, quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est.*

Quibus haec possunt addi: V 81 *animae et umbrae non est nominativus pluralis, sed gen. sing. — non ergo sequamur eos, qui putant Anchisen plures umbras et multas animas habuisse.* cf. ad. 98. contra Servius: *voc. plur. est: nam Plato et Aristoteles et omnes periti dicunt in homine quattuor esse animas. — alii — dicunt — gen. esse sing.* eqs. cf. ad VIII 564, schol. Veron. ad V 81. — VIII 105 *pauperem senatum — et numero et opibus: quomodo et ipsum regem pauperem dixit. volunt autem*

quidam pauperem senatum numero tantum dixisse Verg., quasi fieri posset, ut regi pauperi divites obsequerentur. Serv. *aut ad numerum — aut revera pauper.* III 151 Don. legit *in somniis,* ut sit ⟨ad 174⟩ *cum non plene vigilaret nec plene dormiret.* Serv. *multi volunt unam partem esse orationis i. e. vigilantis, multi 'in somniis'* (cf. Dan. ad vs.). VI 234 *aereum montem plerique non nomen eius fuisse arbitrantur, sed quod sit altissimus. sed non hoc positum est. nam qui dixit 'qui nunc Misenus ab illo dicitur' ostendit a veteribus nuncupatum* ⟨scil. aereum⟩. Serv. *alii altum, alii nomen montis antiquum volunt: unde est 'qui n. M. ab i. d.'* VII 623 ne contraria scripsisse poeta putetur (coll. vss. 45 sq.) Donatus e vss. 170—189 demonstrat Latini maiores bellicosissimos fuisse. Serv. ad v. 601: *quae ne sint contraria accipiamus Italiam primo caluisse bellis, medio tempore quievisse, et ad studium antiquum nunc reverti* eqs. IX 4 *sedere autem vel maxime hoc loco non tantum corpore, sed etiam otiosum animo esse significat: volunt tamen aliqui quasi tractatibus necessariis vacantem dici, sed non ita esse multis documentis apparet: nam et illius quoque inertia vult poeta per comparationem Aeneae laudes extollere.* Serv. *aut erat aut consilia captabat aut augurabatur.*

Cum iam complurium quos attuli locorum similitudo non ita magna sit, etiam minor in sequentibus: I 644 *hic ab his qui verum intellectum non advertunt, exoritur quaestio, quia dicit 'praemittit Achaten', cum ipse secuturus non esset. rapidum pro valde rapidum intellegendum h. e. satis velocem mittit proprie et necessarie positum est. urgebatur enim Aeneas pietatis ratione, ut videret maturius filium.* Serv.: *non praemittit, non enim sequitur ipse, sed praerapidum, quod ex adfectu patris intellegendum.* Sed admiscet aliam interpretationem Donatus, cum pergat: *urgebatur alia quoque causa — rapidum ergo Achaten praemisit h. e. mandatis instructum, ut antequam pranderetur* ⟨rediret⟩ *et celeritate reditus, prandio non veniente, munera opportune praeferret — nam, ut dictum est, ob hanc causam praemiserat, ut horam prandi praeveniret.* III 635 iam supra laudavimus (p. 8). I 27 Don. Antigonam Priami, non Laomedontis filiam appellat. 132 Don. Gigantes, non Titanes commemorat. 4 *non enim saevam potentem dixit ut alii volunt, sed revera saevam* eqs. Serv. *multi — putant temporale esse epi-*

theton — nescientes, quod saevum dicebant veteres magnum. IV 672 Don. distinguit ante exanimis. XI 276 Martis et Vulcani nomina confusa sunt.

Locis quos supra attuli minus viginti adversantur amplius sexaginta loci, ubi sententiae *aliorum* a Donato laudatae ad Servium solum referri nequeunt. Atqui, dicat quis, ille hausit sua e pleniore qui dicitur commentario. Sunt sane loci, ubi Donato conveniat cum Servio additis scholiis Danielinis aut cum Danielinis additamentis solis.

2. COMPARANTUR DONATUS ET PLENIOR QUI DICITUR COMMENTARIUS SERVI[1]).

I 71 *hoc loco inanis intellectus homines amisso Vergili puro et vero sic suspicionibus in falsam interpretationem ducit, ut asserant* (sic locum emend. Hoeven.) *pulchram prolem idcirco Innonem pollicitam, quod Aeolus iam turpes filios habuisset.* com. Daniel. *vel certe, quod ex priore coniuge improbos filios Aeolus habuerit.* Serv. *errant namque qui dicunt ideo 'pulchra' dixisse propter Canacen et Macareum in se invicem turpissimos fratres.* XI 292 Donatus laudans poetae verba 'saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector' (I 99) haec addit: *illum saevum non fortem dixit ut alii volunt, sed nulli hosti parcentem.* Serv. I 99 *saevus magnus ut superius diximus* (cf. a. adn. ad I 4 supra laudata) *(vel fortis vel bellicosus, ut est* (XI 910) *'et saevum Aeneam agnovit Turnus in armis.' vel adversus hostes saevus et est epitheton ad tempus).* cf. Serv. ad XI 910, ubi laudantur I 99, XII 107, et ad XII 107. — I 12 *antiquam debemus accipere non magnam, sed prolixi temporis, ut annositate roborata sit atque firmata perindeque potuerit Romanum imperium nascens longaevis viribus premere.* Serv. *unde antiquam accipe et ad comparationem istius quae nunc est et Roma antiquiorem (alii 'antiqua nobilis').* cf. II 363 *antiquum nobile et maximi meriti veteres posuerunt. nihil enim potest esse diuturnum, nisi quod sit firmum et dignum quod debeat etiam futuris saeculis reservari.* Serv. *vel nobilis vel quia* 2800 *annis regnasse firmatur (et quid est 'antiqua', ipse subiunxit 'multos dominata per annos').* II 558 *nonnulli hic 'sine nomine' sine dignitate accipiunt, sed non ita*

1) Quae in sequentibus uncinis circumclusa sunt praecedente Servi nomine sciendum est ad commentarium Danielinum pertinere.

est: nam cum corpori detractum fuerit caput, erit sine nomine, cum cognosci nequiverit. Serv. *sine agnitione (aut sine dignitate aut simpliciter sine nomine).* IV 384 *absentem alii mortuam volunt et dant exempla impropria. horum primum est* (IX 213) *'absenti ferat inferias dec. q. sep.'* Serv. *'absens' quasi mortua (ut 'absenti ferat inferias').* XII 424 *novas vires multi non tales quales abscesserant, sed multo maiores exponunt. sed quid in sequentibus dicemus, quibus ait 'rediere in pristina vires?' novas ergo post fugatum dolorem reparatas intellegamus* eqs. Serv. *in usum priorem (h. e. quales fuerunt pristinae. vel 'novae' magnae aut mirae).* V 2 *dicunt Aquilone vento a Carthaginis litore ad Italiam navigari non posse perindeque Aeneam non Aquilonis suffragio navigationem movisse, sed vento alio, qui posset in Italiam ducere, fluctus tamen ab Aquilonis parte venientibus, qui proxime praeteritus diceretur, extitisse.* — contra quae Donatus rem sic explicandam censet, ut aut ipse Aquilo verus fuerit, qui posset quolibet fugientes ducere, aut sub Aquilonis nomine alterum poeta dixerit, qui suffragium fugientibus ferret. Serv. *quos nuper flans Aquilo atros effecerat.* Dan. *ex Africa venientibus auster secundus est, aquilo adversus: ergo hoc dicit, quod fluctus, qui atri esse consuerunt aquilonis flatu, qui antea flaverat secundo flatu, secarit Aeneas urgente zephyro* eqs. IX 219 *si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? — excitabant* (scil. Nisus et Euryalus) *alios, qui essent ex vigilum numero.* Serv. *qui vigiliarum officium haberent (h. e. futuros vigiles; alioquin quomodo excitat?)* — X 8 *asserunt aliud secreto in I libro filiae esse confessum* eqs. Dan. *sed ibi secreto filiae dicit* [1]).

His decem locis coniecturam illam non satis confirmari manifestum est, cum praesertim nesciamus, quo tempore commentarius Servianus additamentis Danielinis sit auctus. Nam quae dicta sunt de contractione et mutatione, quam Servius in brevioribus commentariis subiisset, idoneis argumentis refutata esse mihi persuasum est. Iam poterit affirmari Donatum et Servio et aliis usum esse auctoribus [2]).

---

1) Adpono hoc loco adn. ad V 24 *Erycis commemorationem fecit, qui ante Acestem Siciliam tenuit. Hunc volunt veterum fabulae Aeneae fuisse germanum* eqs. Dan. *regem Siciliae unum sicut dicitur Argonautarum.* — Ex utroque scholio in cod. T haec conflata sunt: *legitur iste*

3. NON SERVIUM, SED ANTIQUIOREM INTERPRETEM FUISSE DONATI AUCTOREM.

Habeo exempla in promptu, quibus Servium non fuisse inter Donati auctores demonstrari posse confido. Nonnullis enim locis similia leguntur in utroque commentario, ita tamen, ut non Donatum ex Servio, sed utrumque ex antiquiore interprete sua hausisse statuendum sit.

1) I 367 Donatus secundum 'aliam traditionem' consentit cum Serv. de empto agro et de graeco nomine βύρσα, cum Dan. de voce corrigia, sed solus tradit de punica appellatione 'bursals' (?) solusque aliam commemorat traditionem de pecunia antiquissimis temporibus e pecoris corio facta. X I *lucem auctores nonnulli dixerunt tunc pandi, cum exoritur dies, tunc claudi, cum finito die tempus noctis accedit. et ne longius istius assertionis documenta requirantur, ipsius Maronis consequentis in haec dicta repetamus. hic enim ait 'panditur', ut ostenderet diem venisse; alio autem loco dixit 'ante diem clauso componet vesper Olympo'* ⟨I 374⟩. *hoc ipsum firmatur ex eo quod caelo etiam portas obsignant* ⟨adsignant?⟩: *quod enim habet portas, aperitur et clauditur* eqs. — altera pars consentit cum Servio, altera, qua de portis caeli disputatur, cum schol. Ver.: *Long. utrum sic domum dixit aperiri, quomodo et Homerus:* χαλκοβατὲς δῶ, αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ ἃς ἔχον ὧραι eqs. XI 463 Don. *aiunt manipulum dici CC militum.* Serv. refert de triginta signiferis, sexaginta centuriis. I 480 *peplum] genus est vestis pertinens ad ritum sacrorum Minervae. alii scutum modicum (!) dicunt.* Serv. *peplum proprie est palla picta feminea Minervae consecrata ut Plaut.* eqs. *hodie tamen multi abutuntur hoc nomine.* IX 406 *tholum ferunt esse medium tecti in retunditatem collecti.* Serv. *tholus propie est velut scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt — (alii — alii — aedes autem rotundas).* II 41 quod Don. disputat

---

Eryx fuisse rex Siciliae unus de Argonautis, qui ante Acestem ibi regnavit et fuit germanus Aeneae.

2) cf. v. d. Hoeven p. 19: Tib. Claudium ut alibi sine dubio ex aliis Vergili interpretibus profecit (quod satis inde apparet, quia multis ocis, etiam in mirificis interpretationibus, cum Servianis congruit, quas a Servio vel ab aliis accepit), ita hoc loco Aelium Donatum video secutum esse.

ardentem non esse festinantem, ut alii velint, sed commotum, eius adnotatio non inde nata esse potest, quod com. Dan. dicit: *primum — commotionem — dein celeritatem — inde vocis magnitudinem.* II 550 secundum Don. Pyrrhus Priami capite absciso gladium lateri regis infixit, non in vaginam revocavit, secundum Serv. aut sublato capite gladium in vaginam recondidit aut gladium infixit lateri Priami, cuius caput postea sublatum esse *κατὰ τὸ σιωπώμενον* accipiendum sit. XI 897 *tumultum interpretati sunt veteres timorem multum esse.* Servius nihil adnotat. — VIII 1 *tumultus h. e. timor multus.* Serv. *si esset tumultus, i. e. bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus.* I 1 *hoc autem loco plerique arbitrantur errasse Verg. ut primo rem, deinde personam poneret: qui si Sallustium considerarent, liberum ratione metrorum, sic historiam coepisse, ut primo rem, deinde populi Romani personam poneret, numquam Vergilium criminarentur, quem constat in propositione liberam ordinandi habuisse licentiam, exsequendi vero alium ordinem tenuisse* eqs. Serv. *figura usitata est, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus* eqs. *hac autem figura etiam in prosa utimur. sic Cic. in Verr.* — IV libri v. 655 ne contrarius sit libro primo, Don. aut statui non perfeci, sed institui accipiendum esse censet aut Didonem consolationis suae causa urbem perfectam dixisse. Serv. *non est contrarium illi loco* (IV 88), *nam licet paululum aliquid superesset, quantum ad ipsam pertinet, fecerat, ut* IV 75. 683. — IV 674 uterque indicat verbis 'nomine clamat' recte respondere 'hoc illud germana fuit', sed cum Servius provocet ad consuetudinem iuris, Donatus copiose disserit de vocabulis necessitudinis (ut pater, mater, avus cett.) allatis nonnullis locis Vergilianis. IX 430 *hic quia potuit ei dici 'si iste reus non est, quid hic facit vel cur tecum?' et occurrit ultro et ait 'tantum — amicum.' quod ait 'tantum', corripi debet in pronuntiatione, non produci, ut sit: hoc solum deliquit, quia venit huc mecum amicitia infelicis hominis ductus, non odio vestro. Errant autem qui producunt 'tantum' et sic intellegunt quasi Nisus dixerit 'tantum me amavit' quasi 'multum'* eqs. Serv. *contra illud: cur ergo venit? dicit; tantum amicum dilexit, ut cum nihil posset, tamen veniret.*

2) Quae cum ita sint, tantum abest, ut quae infra afferam exemplis demonstretur Donatum interpretis alicuius, qui Aenei-

dem aut ante Servium enarravit aut post Servium, quaestiones aut pravas explicationes refutasse Serviana usum interpretatione, ut statuendum sit ex antiquiore scholiasta illum utramque explicationem repetisse, Servium non nisi veram explicationem commemorandam iudicasse. neque enim ficta esse possunt a Donato, quae Servius his locis non profert. IX 1 Don. coll. V 166, IX 691 demonstrat diversam partem non esse partem adversariorum, sed partem longius separatam sive longe discretam. Serv. *valde diversa i. e. longius remota.* cf. Prisc. part. XII vers. 179 *diversus tamen apud Latinos non solum varius, sed etiam pro separatus accipitur et discretus.* XII 897 locutio a quodam vitiosa iudicata (per genera soloecismus), eodem argumento a Donato defenditur, quo a Servio breviter secundum artem esse demonstratur. I 563 *sed hic satis errant, qui rem duram novitati regni coniungunt: quasi Verg. unam rem geminans hoc idem dixerit velut laboriosam esse novitatem regni.* — de hac interpretatione nihil apud Serv. et com. Dan., quorum adnotationes conferantur cum sequentibus: *sollicitam fecerat, ne quisquam nondum firmatis rebus imparatos offenderet. metuebatur extrinsecus res dura, ne — sequeretur Pygmalion —. idcirco igitur rem duram dixit mariti interitum, ne diceret, quod nefarie constabat admissum, vel ne diceretur verum, quod iam dictum est ex persona Veneris et fieret rei iam cognitae repetitio.* XII 179 Don. quaestionem: *semper malam Iunonem sensit nec aliquando habuit bonam; quomodo dixit 'iam melior?'* hac interpretatione solvit: *talem te exhibeas peto, qualem esse convenit deam — debes iam non esse adversa, quia tenemus Italiam.* Serv. *ac si diceret, non Saturnia i. e. iam minime nocens, sed Troianis propitia.* add. Dan. *aut melior non optantis, sed adfirmantis accipiamus: potuit enim intellegere minus se impugnari a Iunone, qui vicerat bis.* IV 656 similiter explicant Serv. et Don., sed hic expressis verbis impugnat calumniatores poetae, qui revera Didonem Sychaei mortem ultam non esse dicant. VII 251 sq. *multi hic faciunt quaestionem dicentes: si intentos, quare volvens? quasi toto cogitationis spatio immobiles oculi teneri potuissent, quod est contra naturam. certe et illud sentiendum, quoniam tacitarum cogitationum est movere oculos, cum animi aestus per diversa rapiuntur. ita quo ierit redieritque animus, oculus signis consuevit ostendere.* Serv. modo

dicit cogitantis esse gestum afferens locum Sallustianum. I 263 *non Italiam dicit gesturam bellum sicuti alii putant, sed Aeneam gesturum bellum in Italia, deducta enim 'in' praeposione dixit 'geret Italia bellum' h. e. in Italia.* Serv. *in Italia et detraxit praepositionem more suo.* cf. ad X 8, I 38.

3) Adde, quod nonnulla scholia propius accedunt ad alios commentarios. Velut ad VI 289 Donati verba *Geryonum triplicem fuisse formam memoria veterum prodidit* ex eodem fonte videntur esse repetita, unde in Servi cod. R. fluxerunt haec: *Geryones tres reges simillimi fuerunt in Hispania* eqs. III 516 *triones quidam volunt quasi Verg. de ipso aliquid detraxerit, cum hoc solo nomine vocitentur signumque habeant ex numero stellarum additum nomini. sive igitur dicamus 'triones' sive 'septemtriones', eo redigitur res, ut utrumque sit integrum.* Dan. *septemtriones duos, Cynosuram et Helicen, Varro autem ait boves 'triones' dici et haec signa etiam plaustra dicuntur* eqs. Serv. ad I 744 *sunt boves aratorii. non ergo incongrue dixit 'triones' quia septemtriones plaustra a nonnullis dicuntur.* — Cum his cf. Gell. II 21, 6 *vulgus grammaticorum septemtriones a solo numero stellaram dictum putat. triones enim per se nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum. — sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui triones* eqs. *itaque hoc sidus — nostri quoque veteres a bubus iunctis septemtriones appellarunt, i. e. septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones figurantur.* V 467 Servio nihil adnotante cum Donati disputatione comparandum est schol. Ver. *cede deo ut 'descendo ac ducente deo'. an secundum illam consuetudinem athletarum, qua victores hodieque hoc honore nominant, et forsitan sic supra Eryx deus dictus.* Don. *deo, inquit, cede, non homini. sic ipse Aeneas et in sua causa prosecutus est, ut in fine II libri diis cessisse potius quam Graecis diceret. dicendo igitur 'cede deo' minuere voluit victoris hominis laudem. errant igitur, qui putant Aeneam deum dixisse Entellum, cuius victoriam deprimere debuit propter amici miserabilem casum.* XII 1 *infractos nonnulli in duabus partibus orationis ponunt asserentes 'in' aliquando minuere et augere aliquando. hic tamen constat non negari fractos, sed potius valde fractos ostendi: quod ipsum ut plenissime roboretur, 'infractos' in una parte orationis ponere debemus, ut sit 'inflexum'.* Serv. *antea semper infractos: namque ita maior est sensus quam si*

infractos valde fractos acceperis. Ael. Don. ad eun. II 3, 44 *incurvus] valde curvus. sic Verg., 'Turnus ut infractos — videt'. infractos enim valde fractos significat. nam 'in' praepositio nunc auget nunc minuit dictionem.* cf. gram. inc. ad eund. loc. Verg. (Lion. p. 371). Don. X 731. Serv. X 731. VII 332. V 784. — I 179 *Achates procurabat ignem ut corruptum fluctibus et aqua madidum frumentum siccari et frangi posset. hic errant male interpretantes et disputando pessime suum confitentur errorem dicendo praeposteram ordinationem posuisse Verg., cum prius sit frangere saxo h. e. molere, postea vero torrere flammis quasi panem coquere eqs. meminerat enim se de naufragis loqui et dixisse superius 'omnes fatiscunt'* eqs. Serv. *multi hysteroproteron putant non respicientes superiora, quia dixit undis Cererem esse correptam, quam necesse fuerat ante siccari* eqs. Dan. com. *multi ne hysteroproteron sit* eqs. cod. Tur. *Donatus dicit hysteroproteron esse i. e. ordinem permutatum. primum enim frangitur frumentum mola, deinde torretur i. e. coquitur. sed Serv.* eqs. cf. Serv. ad georg. I 267, schol. Bern. ad eundem vs. Ael. Don. art. gram. III6 p. 401 K. *hysterologia vel hysteroproteron est sententiae cum verbis ordo mutatus. ut 'torrere — saxo'.* ad Ter. ad. V 3, 60 *atqui molere prius est quam coquere: sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis foedatur. an quia torreatur triticum, ut tundi possit? ut Verg.* ⟨I 179⟩ *'et torrere — saxo'.* — Quae postremo loco leguntur num Aeli sint haud facile arbitror posse diiudicari. — Similis condicio est adnotationum ad I 573. Nam explicatio, quae a Servio et Tiberio improbatur ⟨scil. vitium antiptoseos statuendum esse⟩, invenitur in Don. art. gram. 394 K. et in scholio ad eun. IV 3, 11 primo ⟨cf. Diomed. pp. 454, 440 K. Priscian. II 187⟩, quae Servio probatur, eadem affertur ad Phorm. V 7, 53. Tiberius vero, qui dicit accipiendum esse 'quam statuo urbem vestra est' consentit cum scholio ad eun. l. l. altero, ubi haec leguntur: *nesciunt hac figura multum veteres usos esse. 'eunuchum' enim ad 'dedisti' verbum rettulit* — et cum com. Dan. *hoc schema de antiquioribus sumptum possumus accipere; ait enim Cato in legem Voconiam 'agrum quem vir habet tollitur' et Terentius 'eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit.'* VII 49 *persuaserunt sibi nonnulli ac prope omnes ultimum non novissimum esse, sed primum. volunt hoc velut exemplo ultimum*

virum dicere, quem putaverint aliquando laudandum, cum non ita sit. nam si quando plurium edicendus est numerus, erit primus, a quo fuerit coeptum, et vere novissimus, qui posterior fuerit nominatus. 220 *supremam sic dixit quomodo ait 'tu sanguinis ultimus auctor', ut enumeratione maiorum ipse videatur in fine.* Serv. VII 49 *ultimus auctor primus ut supremum summum dicimus: 'pro supreme Iuppiter'.* Ael. Don. ad hunc versum Terenti ⟨ad. II 1, 42⟩ supremum nunc dicit summum — Verg. ⟨VII 220⟩ *'rex ipse Iovis de gente suprema'.*

4) Quibus aptissime subiungere mihi videor nonnulla scholia, quae quamquam Servianis non ita similia sunt tamen possunt eis comparari: I 650 quaesivit quidam: *quomodo Argivae?* respondet Serv. *a vicinitate posuit,* Don. *Helenam ferunt Argivam veterum fabulae et omnium consensus auctorum fuisse pulcherrimam in tantum, ut eius forma infinitorum pictorum et peritissimorum redacto in unum maximo numero feminarum quoque propositis corporibus nudis pingi nequiverit*[1]*. itaque quaecumque femina formosa fuerat, Helenae nuncupabatur nomine etiam si pulchritudinis ratione Argivae Helenae aequari non poterat eqs. idcirco Verg. ait 'ornatus Arg. Hel.', ut regionis signo monstraret de ea loqui Helena, quae pingi non potuit, addens alia ut lectores redderet certiores.* — Quibuscum cf. Serv. ad VIII 564 *tunc enim sicut et Varro dicit omnes qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur — hinc est quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyn.* cf. ad XI 260 (p. 503, 23 Th.). II 735 *male amicum numen inimicum accipiunt. id putamus male amicum esse, quod uno tempore adversa prosperis miscet, ut in praesenti factum est: male amicum exstitit iuxta Aeneam, quia facilitatem praebuit exeundi, et non vidit uxorem. amicum igitur dici non potuit quia non servavit universos, inimicum dici non potuit quia praestitit beneficium. dictum ergo proprie male amicum, utputa quod in altero malum et bonum in altero comprobatum est.* Serv. *non cum utilitate mea favens uxori, quae in numerum ministrarum matris deum relata est (vel 'male amicum' iratum, ut* ⟨23⟩ *'statio male fida carinis').* consentit Donatus in explicando quid sit 'male sana' ⟨IV 8⟩ cum Servio, ad II 23 ⟨male fida⟩ cum ea sententia, quam ille

1) De Zeuxide pictore talia memorantur a Cic. de inv. II in. Plin. N. H. XXXV 9, 36.

priore loco affert. IV 316 Servi scholion *qui novitate sunt dulces* conspirat quodammodo cum eorum sententia, quos Donatus refert 'inceptos hymenaeos' intellexisse *quasi recenti tempore contractos.* I 185 cum Servius demonstret 'errare' de pascentibus posse dici, quod Donatus negat, nihil commemorat de pleonasmo, quem secundum Don. quidam inesse volunt in verbis 'a tergo sequuntur'. II 546 Servius 'nequiquam' interpretatur 'non', ne exoriatur quaestio, de qua refert Don., quomodo pendere possit quod refellitur. XII 6 Donati et com. Dan. fere eadem sententia est, sed Don. commemorat multos gaudere pro saevire accipere, quia gaudere non possit, qui sic vulneretur, ut pereat; Dan. notat gaudendi sensum nulli ferarum adponi.

5) Restant loci, qui nequeunt comparari cum commentario Serviano. I 507. I 664. II 255 coll. 340. 431. 510. III 41. 466. 539. IV 290. 651. VII 484. XI 283. 415. 682. X 402 *Teuthra accipiendum est, ut veteribus placuit, velut scutum (?).* II 135 *ulvam plerique eam dicunt esse, quam vulgo budam appellent. nos nihil dicimus interesse, utrum ipsa sit an alterius generis species.*

§ 2. A. COMPARANTUR INTERPRETATIONES A SERVIO LAUDATAE CUM DONATI COMMENTARIO.

Diximus de eis Donati locis, quibus alios laudat interpretes. Iam videbimus eum non Serviano commentario, sed antiquiore usum esse etiam inde probari, quod a Servio aliquot sententiae aliorum refelluntur, quas amplexus est Donatus. Neque enim verisimile est illum tot locis recepisse interpretationes ab auctore suo improbatas, quin aliis aliud melius videri commemoraret, cum in reprehendendis aliis, sive auctores suos sequitur sive suum profitetur iudicium, non ita raro versantem eum deprehendamus.

1) Quae Donatus probat, refelluntur a Servio: I 133 Serv. *multi enim quaerunt, cur modo Neptunus de alienis conqueratur elementis.* Don. *obscura dictio eius ac brevis, qui loquebatur iratus et qui ad sedendum tumorem pelagi festinaret. denique transit ab aliorum iniuria elementorum, a quibus eum constat alienum, venitque iam ad speciale admissum* eqs. 230 quod Servius dicit velle quosdam *superfluo 'regis' ad deos referri, 'ter-*

res' ad homines nescientes eqs., hoc ipsum expressis verbis facit Donatus. II 7 quod Servius de Achaemenide ab Asinio Pollione dictum esse commemorat, idem apud Donatum legimus, quamquam is non loquitur de Myrmidonibus et Dolopibus. III 380 *male autem sentiunt qui distinguunt 'scire Helenum'.* Don. *dii prohibent me scire.* V 506 Serv. *alii pennarum dicunt, sed melius est spectantum favore: illud enim est incredibile.* Don. *geminavit trepidos plausus in tantum, ut eorum sonus complevisset universa.* VI 545 Don. *iam recedam expleturus numerum — quem abeundo minuerat — et tenebris iterum reddar.* Serv. *ut diximus supra, explebo est minuam — sensus ergo est: minuam vestrum numerum et reddar tenebris — alii explebo male putant complebo esse, umbrarum scil., a quibus decesserat, numerum.*

Sequuntur scholia Serviana additamentis Danielinis aucta. I in. Serv. *Lavina legendum est, non Lavinia, quia post adventum Aeneae Lavinium nomen accipit: quamvis quidam superfluo esse prolepsin velint. — quaerunt multi, cur Aeneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dicat Antenorem ante adventum Aeneae fundasse civitatem. constat quidem, sed —. plerique tamen quaestionem hanc volunt ex sequentibus solvi — melior tamen est superior expositio. (sane bene addidit Lavina, ut ostenderet ad quam partem Italiae venisset Aen., quia et multi alii eo tempore ad Italiam venerant.)* — Don. *non iam tunc fuerant Lavina litora, sed tunc, cum gesta veteribus saeculis Vergilius replicabat. alia Vergilio fuit causa, qua dixit primum Aeneam venisse ad Italiam, cum constet etiam alios esse perductos eo antequam Aeneas Italiam tetigisset. et verum est, sed non ad eam Itatiae partem.* II 292 Servius quamquam melius censet 'etiam hac' coniungere, commemorat multos distinguere 'etiam', ut sit 'adhuc' ut VI 485. Quod quomodo intellegant, explicat schol. Dan. — Hanc distinctionem Donatus quoque sequitur laudato v. IV 38, non VI 485. cf. Serv. ad VI 485 *etiam adhuc ut* ⟨654⟩ *'quae cura — repostos'.* Ael. Don. ad Ter. And. III 2, 23 *etiam pro adhuc ut Verg.* ⟨VI 485⟩ *'Idaeumque tenentem'.* I 1, 89 *etiam adhuc.* III 636 Don. *quod autem ait 'sub fronte latebat', quod ingens fuisse dicebatur usque adeo ut orbi lunae vel solis aequari potuisset, faciebant rugae torvae frontis et ingentes capitis comae;* Serv. *dormientis scilicet: nam*

male sentit D o n a t u s ⟨scil. Aelius⟩ *dicens 'late patebat' contra metrum. item dicit 'capillis tegebatur' aut 'latebat corporis comparatione'. absolutus tamen est prior sensus (alii 'latebat' subiectum erat fronti et intra frontem recesserat).* Hoc loco ut nequaquam conici potest T i b. D o n a t u m usum esse S e r v i commentario, ita verisimillimum est eius adnotationem fluxisse ex A e l i D o n a t i commentario, qui teste Servio plures protulit explicationes ita ut D a n i e l i n i quoque commentari scholion ad eum referendum esse haud negaverim. II 733 D o n. *a contrario dixit senem aliquid vidisse per tenebras, cum etiam per diem tardos prorsus aut prope nullos habere possit obtutus, sed dixit speciem, quae magis per tenebras facillime videtur.* S e r v. *(nonnulli quaerunt, ex cuius persona 'cerno' dictum sit, sed) altius intuentes 'cerno' Aeneae dant (ut ipse hunc versum dixisse videatur).* III 581 S e r v. *motat movet, nam si 'mutat' legeris, dat refectionem labori — (quamvis alii 'mutat' pro 'mutare vult' accipiunt eqs.).* D o n. *mutat] — facere autem motum terrae, cum Enceladus conversus in aliud latus alterius voluerit vice effetas vires* ⟨reficere⟩ *et* ⟨laborem s. dolorem⟩ *tolerandi substantia superare* [ed. superari]. VIII 215 S e r v. *non, ut multi dicunt, quia consortes perdiderant, sed quia avellebantur a pascuis* eqs. *(vel certe propter stabulorum mutationem).* D o n. utraque explicatione proposita *melius est,* inquit, *ut amissos queri videantur.* probari hanc sententiam demonstrat sequentibus 'reddidit una boum vocem'. ceterum addit nonnulla de familiaritatis affectu, qui ne animalibus quidem desit, nec non de quodam animalium sermone coll. III 361.

2) Nonnullis locis eam sententiam, quam D o n a t u s sequitur, non refutat quidem S e r v i u s, ita tamen affert, ut aliam magis probare videatur. V 610 *alii celeritatis volunt 'nulli visa'.* D o n. *usque adeo celeritas fuit, ut nullus vidisset venientem.* VI 199 *alii — alii — alii 'volando' ambulando dicunt: vola enim dicitur media pars pedis sive manus.* D o n. propter vocem prodeundi et propter verba quae sequuntur 'tollunt se celeres' negat volandi vocem hic significare motum alarum, sed esse 'ambulare per volam'. *'vola' enim dicitur media pars manus et plantae, quae faciebat columbas volare h. e. ambulare p. v., unde et involare dicimus, cum aliquid furtim vola manus subtrahitur; et involare rursum, cum violente manus in aliquem diriguntur.*

sicuti Terentius *ait* ⟨eun. IV 3, 6⟩ *'illi facile in oculos involem venefico'*. VI 213 *tristi — alii 'ingrato' dicunt gratiam non sentienti.* Don. (ad v. 232) *quia nihil sentiunt perindeque nec vicem reddunt, recte mortui dicuntur ingrati.* IX 37 Serv. *hostis adest] hic distinguendum, ut sit militum properantium clamor. — alii 'hostis adest, heia' legunt.* Don. *subnectitur causa faciendi 'hostis adest' atque ut mature fieret, accessit hortatio et dictum 'eia'.* I 475 Donatus videtur distinxisse 'infelix'. II 394 cum Serv. verbis 'hoc ipse' adscribat *multi hic distinguunt et ad Aeneam referunt* (alios 'hoc ipse Dymas' iunxisse schol. Dan. testis est), Don. haec adnotat: *descriptio Coroebi omnibus servit, qui hoc idem faciunt, fecit enim et Rhipeus, fecit (inquit) et ipse, fecit et Dymas.* VI 270 Don. *incertam] h. e. in ipsis initiis positam aut sub nubilo constitutam.* Serv. *inceptam] alii 'incertam' legunt, illuc tamen recurrit; nam 'incertam' incipientem, i. e. minorem significat.* VII 454 Serv. *multi 'respice' distingunnt, alii 'respice ad haec' legunt.* Don. *respice ad haec.* IX 116 utrique distinctioni a Servio commemoratae ⟨ite deae pelagi', genetrix iubet — ite deae pelagi, genetrix iubet'⟩ quid faveat affert schol. Dan. Don. haec habet: *vos, ait, solutis vinculis pergite, et ne perisse potius quam liberatae viderentur, addidit 'ite d. p., gen. iubet'. ostendit iussionis auctoritatem dicendo 'genetrix iubet'.*

§ 2. B. COMPARANTUR QUAS SCHOL. DAN. LAUDAT SENTENTIAE CUM DONATIANIS.

1. Tribus locis apertis verbis a schol. Dan. ea interpretatio refellitur, quae Donato probatur: V 7 Serv. *(quidam augurium pro coniectura accipiunt, sed* eqs.) *ignorabant causam, coniecturis tamen propius accedebant.* Don. *intellegi dabatur malum fuisse, quidquid ignis ostenderet.* — Secundum Serv. et Don. Troiani per augurium illud de Didonis morte, secundum Dan. com. de tempestate futura moniti sunt. V 67 Serv. *viribus audax] hoc ad omnia pertinet (et potest non subdistingui: quamvis quidam luctationem accipiant, quod non reddidit).* Don. *incipit iam proferre certaminum genera — tertia 'et qui viribus audax'.* IX 282 Serv. *sive — sive —: nam 'aut' distinctiva particula est, non negantis adverbium (quidam sic intellegunt: tan-*

tummodo fortuna prospera non in contrarium recidat: tamquam nunc in secundis rebus sit cum obsideatur. alii — sive — sive —. et melius legitur sine aspiratione i. e. aut adversa). Don. *solum illud absit, ne fortuna in nos vultum contrarium vertat, quod in nostra non est potestate* eqs.

2. Jam afferam eos locos, ubi praecedente adnotatione Serviana scholiasta Dan. nullo suo interposito iudicio refert de alia interpretatione, quae apud Donatum quoque legitur.

I 41 Serv. *furias] amorem, ut in bucol. (alii sic accipiunt, quasi illum furore deliquisse dicat, Troianos scientes). Oili] Oilei et non vacat; nam et duo Aiaces fuerunt et ambo furuerunt, sed ira (armorum) Telamonius, hic amore (qui Cassandram in templo Minervae capto Ilio stupravit).* Don. *Aiax ingressus templum Minervae incestatus caede et hominum sanguine, quia amore Cassandrae tenebatur atque per haec nesciebat, quid mali committeret, ab ipsis altaribus tractam stupro sacram virginem violavit: et quod erat gravius, sub ipsis oculis Minervae. defenditur iste veniali statu: factum enim manifestum esse non purgatur, nisi hoc genere, ut dicatur: si deliquit Aiax, non erat suae mentis nec sui consili. furebat enim, h. e. amabat: quod πάθος, ut dictum est, venialiter defenditur* eqs. *Aiacis ergo factum levius facit, ut ostendat veluti graviora peccata Troianorum, quae non erant.* ⟨cf. supra: *interea pro arbitrio suo et pro praesumpta Carthaginis causa vult cum rege suo h. e. Aenea reos tenere Troianos, qui etiam nihil ipsi commeruissent.*⟩ — Donatus et (Servius et) schol. Dan. repetierunt sua ab eodem interprete, cui Donatum debere conicio etiam ea quae affert de veniali statu defensionis. Nam quae pertinent ad praecepta rhetorica, non omnia a Donato ipso addita esse inde efficere mihi videor, quod in Serviano quoque commentario aliis locis similia occurrunt. I 672 Serv. *aut δεικτικῶς dixit, ne in tantum quidem h. e. brevi occasione cessabit; aut simpliciter intellegendum est, non poterit in tanta rerum opportunitate cessare, ut sit de proverbio tractum, quo dicitur 'res in cardine est', h. e. in articulo (quidam sic intellegunt: cum in incerto statutae res sunt, in cardine esse dicuntur, et translationem verbi a ianua tractam volunt, quae motu cardinis hac atque illac impelli potest).* Don. *cardo est proprie qui ianuam tenet vel postes: hic fidem facit cum fores clauduntur et facit firmitatem, denique ipse Verg. cum patefactum*

Priameiae domus vestibulum diceret 'et emoti', inquit, 'proc. card. post.' translatione igitur hic usus poeta ait 'haud tanto cess. cardine rer.' — II 244 Serv. *immemores] improvidi: ant non memores oraculorum (quidam 'immemores' dementes accipiunt, quoniam memoria in mente consistit).* 243 *(monuerunt nos dii, sed nos non intelleximus).* Ael. Don. ad Ter. Andr. IV 3,8 *et memoria modo pro intellegentia ut Verg. 'instamus tamen immemores'.* Tib. Don. ad II 244 *sed mens impedita plenis erroribus id, quod pro salute nostra faciebat, non curavit advertere. — cumque haec fierent et res manifestae nec mente intellegerentur nec viderentur oculis, inde magis gliscente amentia, unde potuit insidiarum prodi commentum: factum est* eqs. VIII 345 sq. *monstravit lucum in quo interemptus est Argus. sacer h. e. crudelis et pessimus. unde et ignis sacer dicitur morbus, qui hominem perniciose persequitur* (cf. georg III 566). *unde et 'auri sacra fames' h. e. detestanda. letum autem ipsius Argi et leti causam referebat Euander: cum Argus ex hospite professus sit inimicum, nec eundem Euandrum pudebat hospitis auribus intimare alterius hospitis necem, propter quam reddebatur facti ratio, quod mortis suae ipse exstiterat causa et vim pertulisset iustae ultionis, qui iniustam paraverat violentiam. testaturque — Argi] testimonium adhibens loci, ut probaret scelerati hominis mentem, qui hospitalis immemor religionis non amorem reciprocum, sed hostilem animum suscepit.* Serv. ad v. 345: *sacri execrabilis. sane Argiletum quasi argilletum* eqs.; *alii a fabula. nam Euander Argum quendam suscepit hospitio, qui cum de eius cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Euandro hoc non sentiente socii intellexerunt et Argum necarunt: cui Euander et sepulcrum fecit et locum sacravit, non quod ille merebatur, sed hospitalitatis causa. bene autem in hac re Euander immoratur et docet causas, ne apud hospitem veniat in suspitionem. ergo Argilletum ab Argo illic sacrato et sepulto (alii Argum occisum dicunt ab ipso Euandro auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus, alii* eqs.). 346 *iurat non sua culpa iura hospiti esse violata (vel in testimonium ducit nomen loci vel detestatur).* — hoc loco exstant quidem apud Donatum haec *'et leti causam referebat',* apud Servium *'et docet causas'* et uterque quid sit sacer explicat, sed Donatus et de sacri voce plura affert et Servi narratione omissa additamentorum demum verba in suum transfert usum, ut eum ex

fonte Servis antiquiore sua repetisse sit veri simillimum. Ad IX 76 sqq. Servi plenioris qui dicitur et Donati scholia cum inter se comparamus, negari non potest affinitatem quandam intercedere inter hos commentarios, non tamen sic ut alterum ex altero exscriptum esse putandum sit. Qua in quaestione non parvi momenti esse arbitror, quod pluribus locis dicit Donatus Vergilium nolle se fabularum auctorem profiteri ideoque *'fertur'* et similia ponere, quibus locis nec Servius nec schol. Dan. tale quidquam commemorat. cf. Dan. com. ad IX 81 *sane quidam 'fertur' reprehendunt, quod dicendo auctoritatem rei detraxerit, alii laudant, quod dicendo 'fertur' incredibili rei auctoritatem dare noluerit* cum Don. ad III 578. 694. VI 284. VII 765. — IX 129 Serv. *Jupp. ipse] scil. qui omnibus praestare consuevit: unde et Juppiter dictus est, quasi iuvans pater. ergo 'auxilium' non circa Troianos accipimus, sed quod ipse omnibus praestare consuevit (alii 'auxilium solitum' auxilium fugae accipiunt).* Don. *solitum dixit, non quod solitus esset praestare Jupp., sed quo Troiani semper in fuga uti consuessent.* IX 599 Serv. *semel ab Hercule, post a Graecis (alii tradunt semel a Graecis et nunc a Latinis: hoc et magis aptum esse Numani personae, ut se vicisse existimet, qui tam iactans et petulans inducatur).* 598. *iterum] denuo: nam iam tertio obsidentur, et 'iterum' non nisi de duobus dicimus.* Don. *ideo iterum, quia obsessi fuerant in Troia et rursum in praesenti. — quid sit iterum, ipse exposuit dicendo 'bis capti Phryges'.* — cf. etiam schol. ad I 326. III 107. XI 657 sq. XII 15, 434, 460 (vid. Don. ad IX 4).

3. Ad extremum eos locos conferamus, ubi Servi adnotatio exstat nulla: I 170 Dan. *volunt autem septem naves ita interim colligi, ut una Aeneae sit, tres de saxis a Cymothoe et Tritone, tres de syrtibus, Neptuno syrtes navigabiles faciente, liberatae sint, reliquae tantum dispersae sint, quas paulo post legimus ad Africae litus adpulsas.* Don. *collectis septem navibus ex omni numero, scil. ex decem et novem: una enim de viginti sub oculis ipsius perierat. recte antem 'collectis' dixit, in locis quippe diversis fuerant: una scil., in qua ipse Aeneas fuit: tres vero de saxis et syrtibus tres* [1]). II 729 Dan. *(suspensum] sollicitum.*

1) Hoc loco paucis tangamus, quae Ribbeckius proll. p. 68 disputat de v. 116. Vult enim vss. 102—123 enumerari naves illas tredecim, quae procella dispersae sint, ita ut reliquae septem cum Aenea in portum fer-

comitique] quidam comiti pro comitibus accipi volunt; nam et pro Creusa eum timere putant intellegi, et singulariter dictum, ut equitem et peditem de multitudine dicimus). Don. *non quo ipsas metuerem tenebras, sollicitus fui —. in singulari numero non unum comitem intellegendum est, sed utrumque: ut oneris significatio pertineat ad patrem, comitis* ⟨ad filium et⟩ *uxorem.* XI 257 Dan. *alii 'quos' pro 'quantos' accipiunt, ut sit pronomen pro nomine.* Don. *non memorabo quales quantosve Simois premat.* — Quod vero ad VIII 189 verba *'quidam intellegunt proprie esse novare replicando vetera quandam facere novitatem ac per hoc excludere vetustatis iniuriam'* in textum plenioris commentari recepta e Turonensi edidisse Danielem testatur Thilo, quin ea ex commentario Tib. Donati, qui in toto opere multum studi ponit in enarranda verborum significatione, repetita sint, dubitari non potest[1]). cf. quae is adnotat ad vs. 189 *novare est, ut supra diximus, replicando vetera quandam facere novitatem et hoc modo excludere vetustatis iuvidiam, quae multa per desuetudinem obscurat ac tollit.* — Eiusdem scholion exstat ad vs. 173 *novare est replicatione annua novam ex vetere facere eam rem, quae promissione frequentioris cultus posset abscondi.*

Jam, credo, non obscurum est, quid efficiatur ex supra allatis exemplis: nimirum Tib. Donatum, quamvis multa ei communia sint cum Servio eiusque interpolatore, neque toto quod exstat in plenioribus codicibus scholiorum corpore neque altero utro auctore esse usum in conscribendis suis interpretationibus, ita ut mihi liceat supersedere comparandis totis commentariis, unde quae effecimus infirmari non possint. Cum vero Claudius Tiberius nequeat auctor esse illorum, magnam illam, quae inter utrosque intercedit, similitudinem ita explicandam esse censemus, ut Tiberio in manibus fuisse statuamus

---

rentur: sed quomodo factum est, ut Achates cum Aenea esset (cf. v. 174 al.), cuius navis secundum Ribb. coniecturam cum Ilioneo pervenit in aliam partem Libyae?

1) Notum est ex Thilonis editione Serviana in Turonensi codice carminibus Vergili ab hominibus decimi, ut editori videtur, saeculi scholia addita esse tum ex Servio et commentario Danielino tum ex Tib. Donato deprompta. Quorum non pauca exscripta sunt in adnotatione critica, sed non semper indicato, quo debeantur, auctore.

interpretem aliquem, unde cum non pauca repetierit Servius, tum quam plurima fluxerint pleniorum librorum additamenta. Usi sunt autem auctore suo ita, ut Servi interpolator verba eius fideliter exscriberet, Donatus, quae instituto operi convenirent, in suum averteret usum modo in brevius contracta modo longo verborum ambitu involuta omissis plerumque argumentis et, quae altiorem saperent doctrinam, disquisitionibus.

§ 3. DE COMMENTARIO AELI DONATI.

Nunc ad Aelium Donatum quasdam Claudi Tiberi adnotationes referendas esse, quod supra indicavi, exemplis demonstretur[1]).

1. Convenit igitur Tib. Claudio cum Aelio tribus locis. II 149 *antequam Priamus proferret quae volebat audire, inculcat Sinoni beneficia sua, ut in nullo palleret et ad interrogata vera potius quam ficta et composita responderet. ait ergo 'mihi'. in ipso pronomine grande pondus et intellectus. mihi quippe potest intellegi utpote regi, qui cum possem artius inquirere veritatem, si fuisses in aliqua parte mentitus, simpliciter quaero, mihi, qui te liberum a vinculis, qui salutem tuam servavi, qui te recepi in meorum numerum.* Ael. Don. ad Ter. Phorm. II 3, 32 *mihi ut respondeas] bene mihi: utpote patri adolescentis vel domino Getae vel etiam seni: et verbum est scrupulose aliquid interrogantium. sic Verg.* ⟨II 149⟩ *'mihique haec edissere vera roganti'* et ⟨ecl. III⟩ *'dic mihi Damoeta, cuium pecus'.* — IV 336 *et quamdiu vixero, quamdiu memor mei fuero h. e. sanus et consilio ac sensu integro: non me pigebit nec erubescam, inquit, recolens nominis tui beneficiorumque memoriam.* Ael. ad eun. II 3, 14 *ita prorsus oblitus sum mei] huic contrarium 'dum memor ipse mei'. ergo 'oblitus mei' insanus.* VII 291 *stetit, non sponte, sed doloris morsibus fixa. tum quassans caput] quod est apertae commotionis signum. haec effundit pectore dicta] demonstrat qualem orationem esset habitura: nam quod longe adhuc posita laetitiam Troianorum vidit et doluit, signum fuit veteris et pertinacis odi, quam perpetua curiositas ducebat quam primum nosse quid agereut inimici.* Ael. ad ad. I 1, 54 *orationis apparatus ex*

1) De Aeli commentario Vergiliano licet concludi ex eis locis commentari Terentiani, ubi Vergilius commemoratur.

vultu osteuditur, ut 'stetit — dicta'. — Occurrunt tales adnotationes etiam alias. cf. ad XII 18 Tib. Don. et com. Dan.

2. Ad Aelium Donatum accedit Servius his quinque locis: I 237 *pollicitationes enim tenent debitorem, etiamsi nolit exsolvere: promissa vero in arbitrio sunt posita volentis vel inviti.* Ael. ad And. III 2, 47 *pollicitatio multarum rerum promissio.* II 3, 27 *promissio et pollicitatio eandem vim habent. sed pollicitatio maioris asseverationis est.* eun. II 3, 16 *saepe pollicitum esse] pollicitum, quod promittentem ultro significat, dixit. et saepe pollicitum esse, ut necesse sit praestare ea, quae promiserit.* Serv. *pollicemur sponte, rogati promittimus.* Suet. diff. verb. p 286 R *promittimus rogati, pollicemur ultro.* I 720 *novus enim amor inferri non potest, nisi vetus prius fuisset exclusus.* 260 *hoc esse servandum in talibus causis etiam Terentius docet, qui dixit in Andria 'sed ubi inveniam Pamphilum, ut metum, in quo nunc est, adimam atque expleam animum gaudio'. non enim animum convertere quispiam potest, nisi fuerit in timoris causa securior factus.* Ael. ad And. II 2, 2 *ordine locutus est. prius enim est metum adimere, sic demum gaudio perfundere. hic ordo etiam in laude servatur.* Serv. I 720 *ordo naturalis. prius enim est avellere inhaerentia, post nova inferre. sic Ter. 'ut metum — gaudio'.* — De v. VII 49 cf. p. 20. VII 573 *recedente furia in eius curam Juno succedens complebat, quae illa forte ad satiandum partium cladem imperfecta dimiserat. dixerat enim Juno furiae, ut recederet et se promiserat necessaria curaturam. idcirco dabat rebus extremam manum h. e. perfectionem. extrema enim dicitur in artibus manus, post quam nihil fit et res invenitur perfecta. denique sequentia consideranda sunt, et invenietur, quid significet manus extrema, quam Juno imponebat h. e. addebat.* Serv. *quod superest perficit, et est translatio a pictura, quam manus complet et ornat extrema.* Ael. ad And. II, 5 1 *herus me relictis rebus] imponitur manus rebus, cum perficitur id, quod coeperis: ut Verg. 'imponit regina manum'. relinquuntur vero res, cum imperfectae relinquuntur. item Verg.* ⟨georg. III 519⟩ *'atque opere in medio defixa reliquit aratra'.* — De schol. ad XII 1 cf. p. 18 sq.

3. Septem locis ad Servium accedit commentator Danielinus. De I 179 vid. p. 19, I 573 p. 19, II 244 p. 26, II 292 p. 22, I 605 *hoc vult obscure disputare Vergilius, saeculorum*

esse, ut boni vel mali nascantur. VI 649 *cum hoc dicitur, monstratur illos non solum generis bona habuisse, verum etiam saeculorum, quibus nasci meruerunt.* Serv. I 605 *alibi 'nati melioribus annis'; felicitas enim temporum ex nascentum meritis comprobatur (ut e contrario Terent. 'hocine saeculum eqs.' et digna laus regibus, ut bono tempore nati esse dicantur).* cf. id. ad. VI 649. Ael. ad ad. III 2, 6 *ἐν ἤθει. questurus de homine saeculum accusat prius: ut 'o tempora, o mores' et e contrario saecula in omnibus rebus laudantur, ut 'quae te tam laeta tulerunt saecula?'* — II 57 *'ecce' ubicumque Verg. posuit, aliquod malum repentinum et insperatum significat, ut hoc loco et* ⟨203⟩ *'ecce autem gemini — alta', item* ⟨526⟩ *'ecce autem elapsus — Polites' et* ⟨XII 226⟩ *'ecce super maesti — ferunt'.* 203 *ubicumque ponitur 'ecce autem', res horrenda et repentina significatur, ut* ⟨318⟩ *'ecce autem — Achivum' et* ⟨526⟩ *'ecce — Polites' et multis aliis locis est positum.* 403 *ecce h. e. dum bene ac prospere certamina nostra ferrentur, repente apparuit, quod multiplici indignitate et scelere actuum nostrorum cursus et gesta turbaret.* Ael. ad ad. IV 7, 4 *ecce autem] ecce dicitur, cum repente triste aliquid rebus intervenit laetis, ut certe, cum aliud agitur, aliud emergit novum, ut Verg.* ⟨II 203⟩ *'ecce — angues' et* ⟨403⟩ *'ecce — crinibus' et Cic. 'ecce — ceteris',*⟨in Verr. V 347⟩. Phorm II 1, 34 *ecce autem, vox est apta his, quae nova et improvisa animo accidunt, sic Verg.* ⟨II 203⟩ *'ecce — alta'.* schol. Dan. ad Verg. II 203 *'ecce autem' cum ex improviso vult aliquid ostendere, 'ecce' ponit, ut* ⟨318⟩ *'ecce autem telis Panthus', sicut Cicero 'ecce autem repente ebrio Cleomene esurientibus ceteris'.* cf. Ps. Ascon. ad Cic. Verr. V 34 (p. 133, 9 Or.). Serv. I 270 *ecce] hac particula utimur quotiens repentinum aliquid volumus indicare, ut* ⟨57⟩ *'ecce — revinctum' (ergo 'ecce' subito est).* — III 353 *accipiebat dixit i. e. pascebat. hoc verbum denique et haec loquendi consuetudo etiam nunc in usu est, cum sumpto aliquo commodo dicimus danti: bene nos accipis h. e. bene nos foves, bene nos pascis* (vid. v. d. Hoeven p. 51 sq.). *ceterum si non ita, ut positum est, intellegatur, erit vitium: si in amplis porticibus, non in amplas porticus accipiebantur.* Serv. *pascebat ut Ter. 'accipit homo nemo melius neque prolixius'.* VIII 178 *accipit aut suscipit ad sedendum aut pascit ut* ⟨III 353⟩ *'illos — amplis'*

(invitat et accipit verba hospitalia). Ael. ad eun. V 8, 52 *accipit] pascit invitat ut 'illos — amplis'.*

4. Vacat scholion Servi his duobus locis: I 65 *hunc locum si quis attentius diligentiusque discutiat, nihil, quod non miretur, inveniet: est enim arte et subtilitate dicentis admodum satiatus: nam coepit a nomine, quod ipsam nec Junonem humilem nec Aeolo iniuriam facit. potior quippe si inferiorem suo nomine vocet et se benevolum monstrat et illi unde gaudeat subministrat. pulchrum est enim, si inferiore loco positus cognitus sit potiori, perindeque carus acceptusque monstratur: fecit enim secundum artis praecepta* eqs. 582 *licet socius, tamen, quia fuit inferior, non nomine suo eum appellat, sed eum omni honorificentia omisso vero nomine natum dixit ex dea.* Dan. com. ad I 38 *et mire Aeneam noluit nominare. honorantur enim minores a maioribus, si suo nomine fuerint nominati, ut 'Aeole, namque tibi'* ⟨65⟩. *contra contumelia, si maiores a minoribus suo nomine nominantur, ut ,Junonis gravis ira'* ⟨V 781⟩ *et 'pacem te poscimus omnes, Turne'* ⟨XI 362⟩. Ael. ad ad. V 6, 3 *o qui vocare] hac interiectione utimur, ubi ex intervallo notos videmus. — moris est autem inferiorcs proprio nomine vocari, si blandiri velis, sed hic nominis oblitus, dum dubitat et inquirit, inhaesit pronomini.* v. 6 *ita ut tibi sensi Geta] maximum delinimentum infert, eum nomine vocans, quod tantum superioribus est.* Phorm. V 9, 50 *nam potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quaererent: et cum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim. tale est in adelphis.* — II 13 *satis subtilis et artificiosa narratio hominis scil. victi et eius, qui videatur sibi, suis et patriae adesse nequisse: eius, cuius exsilium Didoni metuenti per omnia debuit videri necessarium, quod in spem certam venire non potuit, nisi Aeneas primo personam suam iusta defensione purgasset. sed haec ratione temporis sumitur atque personae; nos, inquit, quod magis dolori est, non fortes vicerunt nec bello strenui, quod ipsum ut citius ostenderet et probaret, subnexuit argumentum a persona, ut dictum est, et tempore. a persona sic: 'fracti bello'. nullus enim bello frangitur nisi imbellis, nullus bello frangitur nisi virtute resistentis. a tempore sic: 'tot iam lab. annis eqs'.* Com. Dan. *bene defendit causam suorum, quod in bello non impares fuerint. sane eqs.* Ael. ad hec. I 2, 39 *eiusmodi est haec tota narratio, ut defensionem adolescentis con-*

tinere videatur, quod meretricem amicam necessitate coactus deseruerit. mire igitur, unde quaestio est, inde coepit: amabat, inquit, Bacchidem. sic et in secundo Verg., *an fortiores Graeci Troianis, 'fracti bello', inquit, 'fatisque — Danaum'.*

5. Fortasse etiam has adnotationes Aelio deberi conieceris. II 434 *inde, inquit, divellimur: h. e. necessitate adacti violentiae inviti separamur ab eo loco, in quo certamen supradictum nobis fuerat.* Schol. Dan. *divellimur inde sic dixit, quasi accuset, quod non perierint.* Ael. ad And. I 5, 8 *abstrahat] magna vi verbi et proprietate usus est. unde illud est 'Iphitus — divellimur inde'. Abstr.] magna indignatione usus est* eqs. cf. ad III 2, 39. — IV 373 *quando in hac causa tuta fides inveniri non potuit, nusquam est tuta fides. egregia duorum auctorum dicta: interrogantis unum, alterum iudicantis.* Terentius *quippe ait* (heaut. II 3, 15) *'pro Iuppiter, ubinam est fides?' putavit enim quaerendam existimans posse congruam reperiri.* Verg. *autem iudicavit quaerendam non esse, quod reperiri tuta non possit perindeque superflueret fluxa.* cf. Serv. ad eund vs. Ael. ad And. II 5, 14. ad. III 2, 32. Melius fortasse de hoc scholio iudicare poteramus, si aetatem tulisset Aeli ad heaut. commentarius. — X 782 *veniebant Argi in mentem morientis, quasi hoc vel alio genere apud suos non esset moriturus, si remansisset aut a suis in totum non recessisset.* cf. Serv. et schol. Dan. ad eund. vs., schol. Dan. ad IV 468. Ael. ad Andr. I 5, 49. — XI 537 *haec fuit praecipui amoris gratia, quod ceteris antiquior videbatur. parit enim maiorem vetustas affectum et benevolentiae meritum temporis diuturna continuitate conduplicat.* cf. Serv., Ael. ad And. III 3, 7. — XI 545 *petebat autem solitudines nemorum.* 569 *et omnem vitam suam in solitudine montium ac desertione transegit, quod imitatus est Metabus. potest et sic intellegi solis montibus, ut nullo tempore vitae suae reliquerit montes propter praedictas causas, pudoris scil. et timoris.* Serv. 545 *desertorum:* Ter. (Andr. II 4, 3) *'venit meditatus aliunde ex solo loco'. Item ipse 'non hunc abici oportet in solas terras'?* (Phorm. V 8, 85). 569 *et pastorum aevum exegit in montibus solis i. e. pastorali usus est vita.* Ael. ad Andr. II 4, 3 *solo deserto, ubi meditari facilius posset.* Phorm. V 8, 85 *in solas terras]* Verg. (XI 569) *'pastorum et solis — aevum' et* Sallust. *in I solis viis.* Quamquam hoc loco non praetermittendum

est, Tib. Donatum 'pastorum' coniungere cum praecedentibus. Adnotat enim ad verba 'neque ipse manus feritate dedisset pastorum': *nec consensisset feritate pastorum vitam ducere h. e. vivere pastorum more, qui ferarum more solitudine ac silvis transigunt vitam,* quibuscum conferenda sunt haec Servi: *manus dedisset] consensisset et hoc dicit: etiam si qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia feritate fugisset.* Com. Dan. *feritate autem figurate pro feritati: an ob feritatem?*

§ 4. COMPARANTUR SCHOLIA VERONENSIA CUM DONATIANIS.

Sententiae nostrae de Tiberi Claudi auctore haec quoque exempla favent, ubi de iisdem rebus traditur in illius commentario et in scholiis Veronensibus.

1. Don. Veron. Serv. II 83 de Palamede. VII 337 *per nomina formas ostendit, in quas conversa mutabat etiam quod poterat vocitari. id enim incipiebat esse, in quod volebat forte converti. mille vero artes nocendi suppetebant, cui facile fuerat esse quod vellet.* Haec magis congruunt cum schol. Ver., ubi Haterianus laudatur, quam cum Servio. IX 360 sqq. *Caedicus, inquit, haec miserat Remulo, qui esset ex oppido Tiburti, absens absenti ob confirmandam amicitiam et honorandam hospiti religionem. ille autem h. e. Remulus moriens reliquit haec nepoti, quae et ipse bello deiectus cum fuisset, transitum fecerunt ad Rutulos, a Rutulis nunc ad Euryalum.* Ita hunc locum ab Aspro intellectum esse, qui Rutulos pro Rhamnete positum statueret, testantur schol. Ver., cum aliter rem explicuisse Donatum, Aelium nimirum, commemoret Servius. IX 373 *sublustris umbra est, quae sereno caelo habet aliquid luminis.* Serv. *sublustris nox est habens aliquid luminis. Horat. 'nocte sublustri — undas'.* Idem exemplum Horatianum huic loco apposuisse Probum legimus in schol. Ver., Asprum vero de significatione vocis dubium fuisse. IX 390 *in hoc versu diversa distinctio est. infelix enim sic in medio positum est, ut et Niso et Euryalo possit adiungi: si Niso, sic pronuntiandum ut dicamus 'Euryale' et hoc nomine suspenso consequatur 'infelix qua te regione reliqui?' deinde accedat 'quave sequar?' ut inde magis infelix Nisus, quia nesciit, cum amicum perderet, ubi ami-

cum deberet inquirere. alia distinctio est 'Euryale infelix': ut miserationis videatur esse, cum perditum nominat; et ideo infelix, qui amici peritioris gressus observare non potuit. 'qua t. r. r.? q. s.?' inde quoque infelix, quia sic erraverat, ut inveniri non posset. iudicium hic legentis est necessarium, ut sequatur utrumque aut deligat alterum, quod putaverit melius. mihi tamen videtur secundum ⟨leg. sequendum prius⟩: *amicum Nisum tantum doluisse perditum, ut se potius infelicem diceret, quia tardius respexit.* Serv. *se infelicem dicit, qui dolet, non illum, propter quem dolet.* Ver. *melior haec distinctio, ut infelicem dicat, quam ut ad se referat: maior enim vis orationis.* — Scholia ad X 1 iam supra (p. 15) exscripta sunt. X 188 *transfigurationem factam pro poena posuit: poena autem sine crimine esse non potuit. pater autem ex ferventi amore factus est avis, cuius facti ipse amor fuit causa et sic amoris est crimen.* Ver. *crimen pro causa.* cf. Servi imprimis haec verba: *si pie amavit, secundum Asprum crimen erit causa.*

2. Don. Veron. Serv. Dan. II 693 *quod autem dixit laevum, debet hoc prosperum intellegi: nam eius in hac causa est ratio. laeva in aliis contraria significantur, in sacris autem signis idcirco prospera accipiuntur, quae sunt laeva, quia sacrificantis vel precantis latus laevum, dexterum est eius qui postulata largitur.* — Haec maxime congruunt cum Serv. ad II 54. IX 631 Don. *ea sunt autem laeva, quae a laeva parte nuntiantur: quia quod petentibus laevum est, id est praestantibus dexterum.* cf. Serv. ad h. v., schol. Dan. ad II 693. — V 80 sq. *iterum ideo quia haec fuit secunda post illam, qua cum sepeliretur salutatus est.* Docet deinceps Don., cur sanctum Aeneas appellarit patrem et refellit eos, qui Anchisen plures umbras habuisse putent, deinde pergit: *nequiquam rursum recepti cineres, quia inimicorum manibus dicuntur erepti et iterum rursum filii opera conditi: quod beneficium cum non senserit mortuus* [1]*, non frustra propositum est nequiquam. huius facti poeta meminit in quarto libro* ⟨427⟩: *nam ex persona Didonis dixit 'nec patris Anchisae cineres manesve revelli'. ex persona filii bene positum est nequiquam. ille enim vivo potius obsequi quam mortuo voluit. non licuit — Thybrim] hoc tempore mortis eius ostenditur doluisse. in tertio enim*

1) cf. Don. ad VII 4.

libro ⟨711⟩ *cum de eius casu loqueretur, hoc dixit 'heu tantis nequiquam erepte periclis'. nequiquam cur illic dictum sit, hic patefecit. non obtinuit enim patre incolumi ad Italiam pervenire, quod quia non provenit et hic ingemiscit.* Schol. Ver. *iterum quia — salutaverat, cum ad sepulturam mitteret, ut facit in XI Pallanti —. nequiquam inquiunt, quod haec quamquam habeut solacium aliquod ad dolorem, non adfertur tamen remedium aliquod postea, non licuit* eqs. Serv. *iterum (pro secundo). hic distinguendum: nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio 'salve' et 'vale'. Rec. neq. cin.*] *(cineres) pro ipso patre posuit, ac si diceret, salve pater de Troia liberate sine causa: propter quod sequitur 'non licuit — arva'. alii ad historiam supra* ⟨IV 427⟩ *dictam referunt distinctione mutata, ut dicant: recepti iterum cineres, semel ex Troia, semel a Diomede, qui dicitur ossa eius eruta cum Palladio reddidisse (Aeneae): nequiquam autem secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore.* cf. Serv. ad IV 427, ad quem versum quid adnotaverit Donatus nescimus, cum illa pars commentari interierit. — Quod Donatus modo 'iterum' cum superioribus, modo cum sequentibus coniungit, minime abhorret ab eius ratione, qui saepe poetam summa brevitate plurima amplexum esse moneat neque dubitet lectori committere vocem aliquam utrum ad hoc an ad illud an ad utrumque referre velit. Quae cum ita sint, non tam neglegentiae incusandus est interpres quam pravi iudici, quippe qui duas explicationes in unum congesserit. Versus vero illos libri III et IV iam laudatos esse arbitror a Donati auctore, cuius adnotatio aliquanto copiosior videtur fuisse quam Servi. VII 341 *exin*] *h. e. ex eo momento. Gorg. Al. inf. ven.*] *Allecto, cui venena supererant, diris infectam serpentibus Gorgoneis dixit, ut in eum modum mutata videretur, quo fingitur Gorgone, et tales serpentes gestare pro crinibus, quales illa portat in vertice.* — Haec referenda sunt ad notam similem magis schol. Ver. *Asp. statim. haec* eqs. — *et Gorgoneis venenis infectam abusive, non quoniam Gorgonis angues habeat, sed quoniam et Gorgo serpentibus armata fuisset* quam Serv. adnot. *Gorg. autem pessimis, saevis, a Gorgone.* — Nec minus schol. Don. ad IX 386 alienum est a Servio. Quod vero in schol. Ver. ad X 566 legimus: *exigua hic distinctio. potest enim sic legi 'quinquaginta — Iovis', i. e. ignem Iovis, ut ποιητικῶς ignem Iovis dixerit fulmen, ut*

'ipsa Iovis — ignem' (I 42). *potest et sic distingui: 'quinquaginta — arsisse', ut hic sit mora, deinde inferatur 'Iovis cum fulmina contra — clypeis'* — quibuscum conferendum scholion Dan., Donatus utramque distinctionem confundit.

3) Deficit Servi commentarius in sequentibus: II 295 *his moenia quaere magna] magni sunt, inquit, magnum debes parare: hoc cum dicit* eqs. *his, ait, statues moenia h. e. perficies.* — Pertinent priora ad vs. III 159, qui laudatur in schol. Ver. et Dan. Ceterum quod hoc loco laudat com. Dan. verba 'dum conderet urbem inferretque deos Latio', paulo superius dicit Donatus: *haec autem dicit sacra et hos commemorat penates, quorum poeta in themate mentionem fecit dicens 'inferretque deos Latio'.* II 623 *potiora numina ipsa debemus intellegere, quae superius specialiter dicta sunt.* Ver. *vel primae inter caelestes potentiae vel* eqs. Dan. *quia Iovem, Iunonem, Neptunum et Minervam dixerat.* II 673 *non dixit 'mihi' sed 'patri': ut si non maritum flecteret precibus suis, patrium tamen moveret affectum.* Ver. *plus est, quam si dixisset mihi, ut ad retinendum filium magis fortis vis affectionis esset hoc nomine.* Dan. *melius 'patri' quam 'mihi'.* V 84 *adytis, inquit, non sepulcro praecessisse anguem, ut confirmaret Anchisen diis esse coniunctum. Adyta enim deorum secreta sunt, quae nondum sacrati ingredientes templa nosse non possunt.* cf. schol. cod. T in Thil. adnot. crit. Dan. *ecce, sicut dictum est* (48, ubi cf. Serv.), *ubique tamquam de deo loquitur, templorum enim et deorum adyta dicimus.* Ver. *adyta dicuntur proprie deorum in templis, sed de Anchisae tumulo dixit, qui fuit sanctus.* IX 397 *captus est, inquit, Euryalus, sed illum locorum fraus hostibus dedit et tumultus repentinus et inimicum tempus tenebrarum, accedente multitudinis violentia, quae totam circumdederat silvam.* — Haec verba consideranti mihi non dubium videtur quin Donatus secutus sit sententiam eorum, qui distinxerunt 'fraude loci' — 'et noctis s. t. t.', quae sententia in schol. Ver. secundum Haterianum priore, in schol. Dan. altero loco commemoratur. — Ceterum vid. scholia ad II 293. 678. 587.

4) Cum schol. Veron. solis conferantur haec Donati adnotationes: I 1 *non ut sexum significaret*[1]), *sed virum, qui talia arma,*

---

1) Saepius similia legimus apud Donatum. cf. ad. V 386, 490. VI 165. VIII 441.

tam magna et pulchra habere vel gestare potuit: virum eqs. Ver. *vir tribus modis ad intellegentiam datur. ponitur enim natura, virtute, adfinitate* eqs. II 103 Servio et schol. Dan. (cf. ad I 580) convenit cum scholio Ver. de coniungendis verbis 'iam dudum sumite poenas'. Contra Donatus cum dicit *quin potius si omnes Achivos pariter uno odio prosequimini, professus sum iamdudum me vestrum esse inimicum, sumite de confesso supplicium,* amplectitur alteram sententiam, quae a scholiasta Ver. his commemoratur verbis: *plerique tamen sic distingunt: idque audire sat est iamdudum, ut sequatur postea quasi ex fiducia, sumite poenas.* — Quod ad II 124 Donatus dicit *quod per ipsum ventura multi praedixerant,* schol. Ver. ad I, 1, ubi legimus *canere — ponitur pro p..... multi crudele canebant exitium,* fortasse non 'praedicare', sed 'praedicere' restituendum est. II 165 *fatale h. e. in quo staret fatum Graecorum. dixerat enim 'Palladis auxiliis semper stetit'.* Ver. *fatale Palladium, in quo fatum Troianorum constabat: alibi 'scandit fatalis machina muros'.* II 632 *idcirco iratus dixit 'descendo abducente dea', ut voluntate matris abductus et persuasione receptus. Flammam — recedunt] quid enim dea vel maxime propter filium complere non posset, quae dixerat: 'nusquam abero et tutum patrio te limine sistam'.* Ver. *qui vero legunt 'dea' matri adtribuunt Aeneae liberationem. flammaeque recedunt ad id refertur, quod tenent Danai qua deficit ignis. sed cum epichiremate hoc dictum est, ut Veneri obtemperent flammae obsequentes deae, et ita antea spopondit filio securitatem 'nusquam abero'.* — De schol. ad V 467 vid. p. 18. VII 489 *facile ille secutus est hominum mores, nec feritatem perdiderat, quia hanc nondum fuerat consecutus in silvis, utpote raptus ab uberibus matris; sed solam humani generis cognoverat lenitatem, eo vel maxime quod puellae Silviae promptiore excolebatur affectu: nam pectebat ferum. ferum natura dixit, non moribus. — didicerat oboedire praeceptis. non enim frustra positum est 'assuetum imperiis:' quippe quis crederet ferum animalis genus et manu puellae potuisse contingi —, nisi haec praemisisset.* cf. lacerum scholion Veron.

CAPVT III.

§ 1. DE TIBERI DONATI TEMPORE.

Nunc quoniam vidimus, quae inter Donatum et reliquos Vergili interpretes intercedat ratio, de tempore, quo ille commentarium conscripserit, est dicendum. Negavimus igitur Donatum usum esse Servi commentario aut solo aut additamentis eis, quae Danieles primus edidit, aucto. Inde si quis conicere voluerit eum vixisse ante Servium, ei non contrarium erit, quod a Servio neglegitur, cuius parum intererat nosse eius interpretationes minime doctas, quamquam aliquid valet, quod Terenti et Vergili interpres numquam Aelius Donatus nominatur, quod exspectari poterat, si Servius commentarium Vergilianum a Tiberio Donato scriptum esse scivisset. Quod si cautius videmur Donatum Servii aequalem iudicare, ne posteriorem quidem quominus eum putemus est quod impediat [1]. Nam qui iudicat Vergilium non grammaticos, sed oratores praecipuos tradere debuisse (epist. ad filium p. 366 Fabr.), facile poterat neglecto Servio eum sibi sumere auctorem, quem plus illo rhetorum disciplina in interpretando poeta usum esse videret. Quae cum ita sint, nihil ausim audacius proponere de Donati tempore nisi quod antiquiorem Servio eum non puto.

§ 2. DE TIBERI INTERPRETANDI ARTE.

De Tiberi poetam interpretandi arte ab aliis admodum diversa quoniam ex supra allatis exemplis non ita difficulter potest iudicari nec non in Hoeveni epistula (impr. p. 30 sqq.) fere eadem tractantur, paucis rem attigisse licebit.

1) De poetae consilio quid senserit Donatus, docemur adnotatione ad I 261 *addidit etiam ipse Iuppiter fatorum dispositionem et omnem futuri temporis cursum. et dum*

1) Huic sententiae favet, quae Wagner in adnot. crit. ad XII 412 disputat.

haec plena ordinatione ponuntur, in brevi complexione monstratur, quid contextus Vergiliani carminis esset habiturus. gesta enim tetigit, quae saeculis omnibus ab Aenea usque ad Caesaris tempora et ipsius Caesaris scribere disposuerat [1]. *sed haec in ipsius carmine idcirco perquiri non debent, quia fine vivendi conclusus proposita nequivit implere: dispositionem suam tamen in hoc libro firmavit.* Cum vero totum carmen Donatus censeat esse laudationem Aeneae, quem dignum Caesare nepote et omni crimine imprimis proditae patriae (cf. ex. gr. adn. ad I 1) liberum monstret poeta, Aeneidem exponit tamquam orationem, quam omnibus partibus secundum artis praecepta compositam et ad instituendum rhetorem aptissimam esse notis rhetoricae terminis usus probare studet.

2) Deinde saepissime monet omnia m o r a l i t e r i. e. non solum pro persona, sed etiam pro tempore, pro loco, pro causa dicta esse, unde quivis quae ad suam pertineant condicionem optime discat. Nec tamen tangit opinionem eorum, qui in Aeneae persona ius pontificium doceri voluerunt et expressis verbis negat Vergilium *id esse professum, ut aliquam scientiae interioris vel philosophiae partem ut assertor assumeret.* (epist. ad Donatianum filium s. fin.).

3) Cum omnia exigat ad artem rhetoricam interpres, non miramur eum g r a m m a t i c a e non plus tribuisse quam necesse erat ad intellegendos singulos locos, longe aliter atque Servium, de cuius in grammaticis rebus tractandis ratione verba facere non opus est. Plurimum versatur Tiberius in eis grammaticae partibus, quae ei communia sunt cum rhetorica. Multus igitur est in exponenda verborum et proprietate et significatione figurata, ut quid quoque loco poeta dixerit et cur dixerit et quam apte, facilius intellegatur. Quamquam haud paucis locis etiam Servi vel alius exstant adnotationes similes. Cuius rei ne desiderentur exempla, cf. notae supra allatae ad I 4 (coll. XII 849). 12 (coll. II 137. 363). 672. II 23 (coll. 735. IV 8). 41. 292. III 107. 353. IV 290. 316 (coll. I 37. VI 384). 336. 384. 655. V 84. VI 199. 234. VII 49. 489. 573. VIII 105. 173. 189. 345. IX 1 (coll. XI 203). 4. 430. 631. XII 1. —

---

1) cf. Serv. VI 752.

Praeterea e Donati commentario in unum conferamus, quae spectant ad verborum differentias: De verbis pollicendi et promittendi vid. quae supra attulimus p. 30 cf. diff. Mtpss.[1]). P 19 *inter polliceri et promittere: pollicemur beneficia, promittimus argentariis creditoribus; vel ita: pollicemur ultro, promittimus rogati.* -- Suet. verb. diff. R 288 rogum et pyram] pyra (paratur) sacrificiis, rogus defunctis. Don. XI 185 *struxerant pyras h. e. loca, quibus incendi funera potuissent.* 201 *busta sunt loca, in quibus iam corpora arserunt. primo enim pyrae dicuntur et rogi: ubi vero arserunt, busta vocantur.* VI 177 *properabant igitur aram non saxis struere, sed arboribus, ut ipsa esset et sepulcrum.* cf. Serv. XI 185. VI 177. com. Dan. XI 202. III 22. Mtpss. R 14 *inter rogum et pyram et funus: rogus est compositio lignorum, quae defunctis paratur; pyra sacrificis componitur, funus mortuis apparatur.* — Imprimis vero comparanda sunt, quae a Reiff. in adn. ad Suet. l. c. laudantur: *pyra est constructio lignorum, antequam ignis admotus est, rogus est dum ardet, bustum vero posteaquam arsit.* — Suet. 284 *ostentum, monstrum, prodigium] ostentum — prodigium — monstrum quod contra naturam (est aut naturam) cognitam egreditur (ut) serpens cum pedibus, avis cum IIII alis.* Mtpss. O 13 *inter ostentum et portentum et monstrum et prodigium: — et commixtum monstruosum est quodcunque extra naturam nascitur, ut serpens* eqs. Don. VIII 81 *monstrum dicitur quod exoritur contra rationem naturae. idcirco exsistit, ut futurum aliquid monstret.* III 366 *prodigia dicuntur, quibus denuntiantur adversa.* cf. quae de monstro dicuntur ad III 390. IV 375. V 849. — Isid. etymol. X vocum certarum alphabetum 155 *lector dicitur a legendo i. e. percurrendo. unde et navis dicitur legere quidquid transit. nam legit transit praeterit ut 'crebris legimus freta concita terris'* ⟨Aen. III 127⟩. cf. Don. et Serv. ad II 208. III 127. V 15. 209. Don. ad III 532, ubi et funes legere et loca aliqua legere verba nautica esse exponitur. — Isid. 137 *infrenis est, qui frenis non regitur ut Numidae infreni.* Don. ad IV 41 *cum dicit infrenos, osten-*

1) Differentiae similium orationis partium a Cicerone et ab aliis sapientibus viris in sensu et litteratura per alphabetum. Ex Montepessulano ed. Ian. Wib. Beck.

dit indomitos et eos, qui nullo iure tenerentur ac suis legibus viverent nec vellent alicuius imperio subiugari. Serv. *aut saevi (et feroces, ut ipse contrario 'ni frenum accipere') aut qui equis sine freno utuntur.* — Isid. 139 *informis ingens, non quod non habeat formam, sed quod ultra formam magnitudinem habeat.* diff. verb. 162 *deformis est, cui deest forma, informis ultra formam.* Don. ad VIII 264 *'in' non ad minuendam corporis formam positum est: informe enim una pars est orationis et significat ultra solitam formam, ut ista qualitate ceteras formas videretur excedere.* Com. Dan. *informe, cuius formam non facile sit complecti.* Mtpss. D. 13 *inter deformem et informen: deformis est cui deest forma, informis est ultra formam.* [cur hoc loco coniecturam Baehrensi 'citra' non receperim, ex superioribus facile apparet.] Ad VIII 110 et IX 3 cum Don., qui altero loco audacem non temerarium, sed intrepidum, altero inconsultum et temerarium interpretatur, cf. Serv. ad IX 3 et Non. Marc. V 502 (431 M.) et 513 (442 M.). — Isid. 6 *alacris laetus, alacriter gestiens et nullius rei novitate perturbatus.* Don. ad V 380 *alacris i. e. nimium laetus.* IX 231 *alacres hoc loco non gaudentes, sed festinantes debemus accipere. non enim conveniebat gaudium illi tempori aut personis aut loco.* Com. Dan. *concitati.* Ael. Don. ad Ter. eun. II 3, 13 *alacritas est mutatio quaedam vultus gestientis in spem aliquam.* — Quae ad II 322 de arcis voce Don. profert, iam v. d. Hoeven p. 50 contulit cum Ascon. in divinationem Cic. V 2, 106. — Mtpss. A. 97 *inter arma et tela: arma protegunt corpus, tela mittuntur ut sagittae, iacula, lapides.* Don. ad IX 37 *date tela: non hoc idem, qui dandum dixerat ferrum: ferrum quidem alterius speciei potest habere significationem et tela alterius: nam sunt gladii, sunt sagittae. certe et sic accipi potest hoc dictum, ut ferrum primo videatur dixisse praeparandum in hostes sagittis et gladiis: tela vero in quibuscumque speciebus, quae oecidere hominem possent, ut sunt lapides, fustes et cetera huiusmodi, quibus repelli hostis queat aut superatus occumbere.*

4) Accedit quod summo opere studet Vergilium liberum ostendere a vitiis elocutionis, soloecismis imprimis, quae ei haud raro ab aliis interpretibus exprobrata sunt. Quae crimina ut ordinando maxime et distinguendo dissolvit, ita omnino in ordinatione et distinctione multum studi ponit

Donatus. Cf. ex eis quae supra exscripta sunt: I 179. 185. 573. XII 897. — VIII 18. IX 77. — I 347. 664. II 292. 431. IV 651. 672. IX 390. XI 415. Eis locis, quibus de aliorum distinctione ex commentariis codicibusque docemur, inter illos et Donatum eadem fere ratio intercedit, quam invenimus comparantes scripturae discrepantiam, ut aliis locis cum aliis Donatum consentientem videamus.

Mendas graviores notavi has:

p. 6, lin. 11: verba 'de Aen. cum Did. concubitu' deleantur.
27: V 492, leg. XI 492.
p. 7, lin. 13: ante 'tamdiu' vacat 294.
p. 9, lin. 5: X 16, leg. X 18.
6: 244, leg. 245.
20: 624, leg. 625.
31: 717, leg. 747.
p. 10, § 1, 1 lin. 11: ingemuit, leg. ingemit.
p. 16, lin. 8: *στωπώμενον*, leg. *σιωπώμενον*.